BIBLIOTECA NAZIONALE
12
15 F
7 M
B. VII. 22.

.14. 4. 13. 50

Digitized by Google


Digitized by Google

# TRACTATVS
# DE AVGMENTO MONETAE

Quo Legum ſanctionibus, Curiarum iudicijs, Gentium moribus, necnon firmitate rationum, communi Doctorum omnium tum Iuriſtarum, tum Theologorum conſenſu In qualibet monetarum variatione, varijſque contrahendi formis

REGVLÆ SOLVTIONVM PRÆSCRIBVNTVR.

AVCTORE IO. BAPTISTA CORAZZARIO.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Domus Romanæ C. R. Mrum Infirmis.

ROMAE, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ.. M DCXLI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

# AVCTOR
# LECTORI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

POTVISSET ſapienti conſilio in tenebris conſeneſcere, qui nunc publicæ luci committitur Tractatus hic de Augmento monetæ, ſi maioris apud me ponderis fuiſſent, quæ mea ab ingenij tenuitate planè exilia, quàm que publici boni diligẽtiam omnem exigentia ad irreparabile damnum ex inopinato, eoque importabili debitorum onere auertendum. Eò ſiquidem redactam agnoſcebam conſilio quorundam Iuriſtarum non infimæ notæ, ipſorum miſeram conditionem ex monetarum augmento ad intolerabilem praxim deducto, vt planè actum de illorum facultatibus omnibus ſtatuere facilè quis poſſet: dum ex eo pateret aditus nouæ, & inexpectatæ penſioni nullum habituræ terminum in perpetuum incrementum. Quare ſtudio veritatis incenſus, vt tutiùs, quid in eorum placitis ſoliditatis lateret, de-



Digitized by Google

prehenderem: præter quamplurimos maximi nominis, qui in Vrbe, quæ ad Theologicam facultatem, nec non Iuriſprudentiam faciunt, ſumma cum laude pertractant, quibuſcum, quæ publici Iuris facimus, contulimus, & luce non indigna cenſuerunt; præſtantiſſimorum etiam aliorum tàm Theologorum, quàm Iuriſtarum monumenta, nocturna, vt ille ait, verſare manu, verſare diurna non deſtiti; ex quibus quantum mihi ſe ſe obtulerit ſinceræ lucis ad recenter offuſas tenebras diſijciendas, erit Sapientum iudicare ex ijs, quæ ex illorum feraciſſimo penu deprompta exponimus; Quorum quidem auctoritati plurimùm ſemper deferendum non inuitus cenſui. Propoſitum hic tamen illud habere volui, vt ſicut illa ſecuritatem quoad ſe aliam non potuit agnoſcere, niſi quæ ex ſoliditate doctrinæ, qua in ſui admirationem ſapientum oculos conuerteret; Ità ego non ſolus vnicam illam tantùm fidem momentum apud me facere exiſtimarem, quæ principiorum, ſic ex ijs rationum firmitate niteretur. Communi inſuper tot Doctorum ſenſu minimè contentus: quid aliarum, vt Prouinciarum, ſic Regnorum vſus præſeferret inquirere non prætermiſi. Occurrerunt ad hoc, Deo volente, Nouæ Regij Granatenſis Senatus Deciſiones, in quibus non ſolùm rationum, & Iuriũ copia in aperto ponitur, quid ab hac aperta veritate ſentiendum; verùm etiam de communi vſu in Hiſpaniarum Regnis, quod facit ad hanc praxim, ità manifeſtè pronunciatur, vt nihil ſuprà. Erit igitur propè, quid illi, qui animarum vtilitati, non tam conſilio, quàm iudicio excubant, tutius de eorum, qui ad ſe confluunt iuſtis, vel iniuſtis actionibus præcipiant; Quibus etiam eo conſilio prælucere pro mea tenuitate ex animo volui: vt ſinceræ veritatis ſcuto circumdati eorum inhibeant auiditatem, qui lucro plus æquo inhiantes, cœcutiunt miſeri in his, quæ faciunt ad

pro-

Digitized by Google

propriam ſalutem; nec non etiam illorum indemnitati ex Chriſtiana pietate conſulant, qui ſupra modum iniuſtis grauati oneribus, ſupremam rerum ſuarum omnium ruinam, non tàm impendentem præſagiunt, quàm experiuntur. Erunt non inficior, qui ſtudio potiori meliora cudant, quibus aliqua ratione præiuiſſe, etiam in imis conſiſtendo, non in minimis libenter ponimus.

BIBLIOTECA N... ROMA VITTOR...

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſsimo P. Magiſtro ſacri Palatij Apoſtolici.

*I.B.Epiſc.Camer.Viceſg.*

TRactatum hunc de Pecuniæ augmento, ac diminutione, & præcipuè ad quem ſpectet in Cenſus reſtitutione, ad dantem nimirum, vel accipiētem Eruditiſſimi, ac Præſtantiſſimi Viri Io.Baptiſtæ Corazzarij, iuſſu Reuerendiſs. P.Nicolai Riccardij Sac.Pal.Apoſt.Mag. accuratè perlegi, attentèq. ſingula conſideraui nihilq.contra bonos mores, Fidemue Catholicam adinueni, verùm potiùs omnia illi conſona, Charitatem, Iuſtitiam, ac Pietatem inſuper ipſam fouentia: dignum propterea iudico, vt typis conſignatus in plauſibus poſteritatis in æternum triumphet.

*Ita cenſeo Ego Hieronymus Lampugnanus Mediolanenſis Philoſophus, Sac.Theol.Mag.ac I.V.D.& Profeſſor, Subdiaconus, ac Prothonotarius Apoſtolicus.*

---

QVæſtionem hanc de monetæ Augmento Eruditiſſimi Viri Ioannis Baptiſtæ Corazarij, iuſſu Reuerendiſs.Patris Fr.Vincentij à Florentiola Mag. S.A.P. accuratè perlegi, nihilq. in ea contra bonos mores, Fidemue Catholicam, immo cuncta charitati fidelium, iuſtitiæ, ac pietati conſona reperi: eamq. typis reuera dignam cenſeo; vtpote, quæ rem difficillimam, tricisque innumeris obuolutam dilucidè probatorum Auctorum ſententijs, exquiſitiſque rationibus elucidet, & quamplurima litigia perbellè componat, ſoluat, dirimat. E domo S.Andreæ de Vrbe xiij. Kal.Iul.An. MDCXXXIX.

*D.Vincentius Riccardus Clericus Regularis Sacræ Theol.Doctor.*

Imprimatur,

*Fr. Thomas Palaſcandolus Baccalaureus, & Reuerendiſs.P. Fr.Vincentij à Florentiola S.P.A.Mag. Socius, Ord. Præd.*

TRA-

# TRACTATVS DE AVGMENTO MONETAE

## QVÆSTIO RESOLVTORIA DE SOLVTIONIBVS.

CVM ab anno 1635. In Sereniſſima Republica Genuenſi ex Conſilio duorum Iuriſtarum aſſerentium in extinctione Cenſuum, & fructuum, aliorumq. debitorum ſolutione deberi augmenta monetarum, multi ſumpſerint occaſionem exigendi talia augmenta à ſuis debitoribus; Cæpi cum pluribus de dicti Conſilij veritate ſuſpicari. Quam iuxtà S. Thomæ documenta ſciens, vbi peccatum mortale agitur, niſi expreſsè habeatur, periculosè determinari: haud infructuoſum cenſui eam reſolutoria certitudine, & ſapientes conſulendo inquirere, ac, Deo iuuante, euidentibus, & experientia, & auctoritate comprobatis rationibus demonſtrare.

Teni.

BIBLIOTECA ... ROMA

Digitized by Google

# Teſtimonia Magiſtrorum Sacræ Theologiæ, & I. V. DD. reſolutionem veritatis indicantium.

## Adm. R. u. P. F. Didacus de Lea Commiſſarius Generalis Curiæ Ordinis Minorum.

*Totam hanc de augmento monetæ excurſionem, & Concluſiones ex doctrina ibidem communes Theologorum, & Iuriſtarum reſolutiones eruditè, dilucidèque digeſtas lentè perlegi, & tùm communi Contrahentium bono, tùm Iuſtitiæ integritati, tùm etiam conſcientiæ rectitudini cohærentes iudico; Quapropter ſaluo meliori Iudicio, Authoris ſententiæ ſubſcribo. Romæ in Conuentu Aracælitano Ordin. Minor. 22. Septembris anno 1636.*

*F. Didacus de Lea Commiſſ. Generalis Curiæ.*

## Adm. Reu. P. F. Gregorius Donatus Ordinis Prædicatorum S. D. N. Epiſcoporum Examinator.

*Præſens diſputatio vna cum Concluſionibus vniuerſalibus totius materiæ de augmento monetæ, cum doctrinam veræ Theologiæ, ſacris Canonibus, rationique ſummoperè conſonam contineat, eam in negotiatorum, ac Reip. Chriſtianæ commodum publica luce digniſſimam iudico. Romæ ex Cœnobio S. Mariæ ſuper Mineruam die 8. Octobris 1636.*

*F. Gregorius Donatus Ord. Præd. Sac. Theol. Mag. & S. D. N. Epiſcoporum Examinator.*

## Adm. Reu. P. Torquatus de Cuppis Soc. Ieſu S.D.N. Epiſcoporum Examinator.

*Totam hanc de monetis diſputationem, & Concluſiones, tùm principijs Theologicis, tùm ſacris Canonibus, & Iuri Ciuili conformes iudico, & ad commune bonum publica luce digniſſimam. In Collegio Romano Soc. Ieſu die 12. Octobris 1636.*

*Torquatus de Cuppis Soc. Ieſu S.D.N. Epiſcoporum Examinator.*

Adm.

## Adm. Reu. D. Conſtantinus Palamolla Cleric. Regul. Congreg. S. Pauli Vrbis Examinator.

*Concluſiones Vniuerſales infra poſitas de Augmento Monetæ legi, & conſideraui, eaſque tùm rectæ rationi, tùm Iuri conformes affirmo. Romæ die 15. Octobris 1636.*

*D. Conſtantinus Palamolla Vrbis Examinator.*

## Adm. RR. PP. FF. Franciſcus de Aragon Cathedraticus Salamantinus, & Socius Illuſtriſs., & Reu.mi Epiſcopi Cordubenſis Oratoris Regis Catholici; & Io. Gonzalez de Leon Magiſter, & Mineruæ Regens Ord. Prædic.

*Attenta conſideratione legimus, & examinauimus Quæſtionem hanc de Augmento Monetæ, cuius reſolutionem reperimus eſſe ipſiſſimam veritatem, rationibus efficaciſſimis probatam, auctoritatum pondere, & legum ſancimentis roboratam, in Hiſpaniarum Regnis in omni accretionis, ſiuè diminutionis monetæ euentu in praxi ſtrictiſſimè obſeruatam, & vt Canonem cuſtoditam. Noſtrum igitur Iudicium, ſaluo meliori, eſt omnes cuiuſcunque Reipublicæ Ciues in ſolutionibus, mutuationibus, emptionibus, & venditionibus, monetarum pretio, & valore conſumandis, teneri in Conſcientia illam ſequi in praxi, & magiſtratus ſtrictiſſima ſollicitudine curare, vt executioni mandetur. In quorum fidem præſentem atteſtationem manu propria ſubſcripſimus. Romæ 25. Octobris 1636.*

*Fr. Franciſcus de Aragon.*

*Prædictam atteſtationem affirmo etiam audiuiſſe à ſapientiſſimo Magiſtro S. A. P. Nicolao Riccardio.*

*F. Io. GonZaleZ de Leon Magiſter, & Mineruæ Regens.*

## Perill.res & Excell.mi Sacræ Conſiſtorialis Aulæ, & Romanæ Curiæ Aduocati.

Ad Concluſiones de ſubſcriptione requiſiti.

*Idem Iuris eſſe cenſeo. Ego Petrus Franciſcus de Rubeis Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Aduocatus, Decanus, Comes, & Eques Palatinus.*

Con-

Digitized by Google

*Concluſiones ſubſequentes, tanquàm Iuri conſonas, optimiſque rationibus, & auctoritatibus fulcitas amplector, illiſque propterea me libenter ſubſcripſi.*

*Ego Ioſeph Bayla Sacræ Conſiſtorialis Aulæ, & pauperum in Romana Curia Aduocatus.*

*Idem Iuris eſſe cenſeo.*

*Ego Io. Camillus Maſcambrunus Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Aduocatus.*

*Ità Iuris eſſe cenſeo.*

*Ego Hieronymus Melcius Aduocatus Conſiſtorialis.*

*Idem Iuris eſſe cenſeo, & plures ex his Concluſionibus firmatas etiam fuiſſe aſſero bis in Cauſa Bergomen. penſ. coràm B.m. D. Buratto.*

*Ego Paulus Ranuccius in Romana Curia Aduocatus.*

*Ita Iuris eſſe cenſo.*

*Io. Franciſcus Tuſcus in Romana Curia Aduocatus.*

*Iuribus, & ſententijs infraſcriptis me quoque adſcribo.*

*Ego Iacobus Bucettus Aduocatus, & in præſentiarum Capitaneus Appellationum, & Iudex nullitatum Vrbis.*

*Idem Iuris eſſe cenſeo.*

*Ego Camillus Iordanus in Romana Curia Aduocatus.*

*Idem Iuris eſſe cenſeo.*

*Theodorus Amydenius in Romana Curia Aduocatus.*

*Concluſiones infrà firmatas, tamquàm Iuri conformes & in Rota comprobatas, vt in dec. D. mei Buratti b. m. 626. & 790. approbo.*

*Io. Franciſcus Ferentillus in Romana Curia Aduocatus.*

*Eandem ſententiam in omnibus his Concluſionibus egregiè firmatis amplector.*

*Et Ego Marcus Antonius Eugenius I.C. Colleg. Peruſinus, & in Romana Curia Aduocatus.*

Ità

Digitized by Google

*Ità etiam Iuris eſſe cenſeo.*
*Ego Marcus Antonius Mandoſius in Romana Curia Aduocatus.*

Perill.res & Excell.mi Ser.mæ Reip.cæ Venetæ Aduocati.

*Idem Iuris eſſe cenſeo.*
*Ego Alexander Zarottus I.V.D. & in Ciuitate Venetiarum Aduocatus, in qua etiam in praxi hoc idem obſeruari fidem facio, & extant plures deciſiones hanc veritatem comprobantes.*

*Idem Iuris eſſe cenſeo.*
*Ego Henricus Cornelius Aduocatus Venetus.*

*Ità quoque Iuris eſſe cenſeo.*
*Ego Nicolaus Velle Aduocatus Venetus.*

Ità omnes vnanimiter eiuſdem ſententiæ reperi, quotquot de propoſitæ Quæſtionis veritate conſului; E quorum tamen celebrioribus, nè Catalogum texerem, ſubſcriptos retuliſſe ſatis ſuperque duxi.

Ità ſimiliter habere reperi vniuerſaliſſimum vſum in omnibus Regnis, & Prouincijs, de quo facilè quiſque certior fiet, qui conſulet aures. Hìc ſupereſt, quid Ius, & Ratio præſcribant, diligētiùs inquirere.

# METHODVS QVAESTIONIS

VT debito doctrinæ ordine indicatæ veritatis rationē feliciùs proſequar, præcipuas huius materiæ partes conabor exponere, Quæſtionem diuidendo in ſex Articulos, & principaliores Articulos in aliquot Paragraphos ſubdiuidendo, vt ſequitur.

## ARTICVLVS I.

Quid vniuerſaliter de hac materia in Iure definitum, & ab omnibus communiter receptum reperiatur. nu. 1.

## ARTICVLVS II.

Quodnam habeat noua poſitio augmenti fundamentū. n. 9.

AR-

## ARTICVLVS III.


Quid, & quotuplex ſit monetæ augmentum. nu. 13.

§. 1. Diuiditur moneta, eiuſq. mutatio. nu. 15.

§. 2. Mutatio monetæ intrinſeca ſecluditur. nu. 38.

§. 3. Augmentum extrinſecum ſtatuitur. nu. 49.


## ARTICVLVS IIII.


Cui, & quale augmentum debeatur.

§. 1. Iuſtitiæ commutatiuæ origo, & eſſentia. nu. 60.

§. 2. Principium generale Iuris contractus pecuniarij, eiuſque ſolutionis. nu. 68.

§. 3. Quid Iuris in augmento ad contractus ſimpliciter, & in genere. num. 76.

§. 4. Quid Iuris in augmento ad ſpeciales contractus conditionatos, & abſolutos. nu. 82.

§. 1. Prima diſtinctio de moneta ſpecifica in ſpecie, & numero ſoluenda. nu. 88.

§. 6. Secunda diſtinctio de moneta ſpecifica deperdita, reprobata, vel intrinſecè mutata. nu. 91.

§. 7. Tertia diſtinctio de moneta ſpecifica cũ difficultate inuẽta. n. 92.

§. 8. Quarta diſtinctio de ſolutione monetæ genericę, atque etiam ſpecificę ad modum genericæ. nu. 93.

§. 9. Quinta diſtinctio de commenſuratione valoris monetæ tàm ſpecificæ, quàm genericæ. nu. 101.

§. 10. Sexta diſtinctio de moneta generica qualitercũq; mutata. n. 105

§. 11. Septima diſtinctio de conſuetudine ſeruanda in ſolutione cuiuſcunque monetæ. nu. 115.


## ARTICVLVS V.


Quid Iuris, & rationis in noua poſitione cenſendum. n. 121.

§. 1. Fundamentum nouæ poſitionis impugnatur. nu. 122.

§. 2. Improbatur eadem poſitio per DD. pro ipſa allegatos. nu. 134.


## ARTICVLVS VI.


Qualiter obiectiones in contrarium diſſoluantur. nu. 141.


AR-

# ARTICVLVS I.

## Quid vniuerſaliter de hac materia in Iure definitum, & ab omnibus communiter receptum reperiatur.

REM grauem, & ad commune bonum pro vtroque foro maximè ſpectantem omni, qua fieri poteſt euidentia veritatis agere cupientes, ea clariori luce, cæteris præferenda cenſemus, quæ hactenùs de hac materia in Iure definita, & communiter recepta comperimus, vt poſitæ quæſtionis reſolutionem in ijs plenè contentam explicandam magis, & aperiendam in ſequentibus, quàm confirmandam habeamus. 1

Ciuilibus ergò, & Canonicis definitionibus communi DD. conſenſu vniuerſaliter concluditur.

Primo. Vbi ex pacto deſtinata eſt ſolutioni certa ſpecies, & numerus monetarum, veluti cum dicitur 100. ſcuta auri in auro, ſemper in eadem ſpecie, & numero ſoluenda eſt eadem moneta, ſi in vſu ſit, & in eadē bonitate intrinſeca reperiatur, ideſt ſi alicuius, ſiuè maioris, ſiuè minoris æſtimationis, & eiuſdem ponderis, & bonitatis materiæ publicè habeatur. Eſt communiſſima DD. ſententia in *cap. Quanto de Iureiur. cap. olim, & cap. Cùm Canon. de Cenſ. in Clem. fin. gloſ. Card. Panorm. ibique DD. de dec. Bart. & DD. in l. Paul. ff. de ſolut. l. cum quid, & l. vinum ff. ſi cert. pet. l 1. ff. de contrah. empt. l. 1. & fin. C. de vet. num. pot. lib. 11. Cyn. & DD. l. in minorum C. quibus cauſ. in integr. reſtit. non eſt neceſſaria*, & vbiquè conformiter. Idem innumeros cumulándo atteſtantur in *tract. diuerſ. de monet. Lauden. nu. 5. 14. 18. 23. & 24. Io. Aquil. theor. 1. & 8. Io. Regnau. per tot. Albert. Brun. præſupp. 2. nu. 2. 3. 8. & 10. & fuſiùs part. 3. Rener. Bud. 1. max. & cap. 15. nu. 1. & 23. nu. 9. Anton. ſol. caſ. 17. & 24. Theſ. 1. p. concl. 11. 2. caſ. & concluſ. 13. & 15. caſ. 1. & p. 2. caſ. 1. 2. 3. & 4. Ant. Fab. cap. 2. & 3 & concl. 1. & 13.* Alibi *Couarr. de vet. num. col. §. vn. concl. 4. Surd. in pluribus conſ. & pleniùs conſ. 406. vol 3. Mareſcott. var. reſol. lib. 1. cap. 94. Cenc. de cenſ. p 2. cap. 2. quæſt. 4. nu. 8.* Idemque prò communi ſemper deciſum voluit *Sac. Rot. Rom. apud eum dec. 214. nu. 2. In Forolia cenſ.* 12. *Iunij* 1609. *coram R. P. D. Iuſto dec. 215. num. 4. In Aprut. cenſ. 4.* Iul. 1607. *coram R. P. D. Sacrato dec. 216. nu. 2. in Rom. pecun.* 20. *Ian.* 1589. *coram R. P. D. Fenia dec. 217. nu. 1. in Rom. aureorum* 20. *Ian.* 1597. *coram Emi-*



Digitized by Google

*nentiſſimo Card. Lancellotto dec.* 218. *in Foroliu. cenſ.* 8. *Mar.* 1602. *coram* R. *P. D. Buratto dec.* 219. *nu.* 3. *in Cremon. penſ.* 15. *Iun.* 1598. *coram R. P. D. Orano. Et in nouiſſ. diu. dec.* 684 *in Cæſarauguſt. Penſ.* 11. *Mart.* 1591. *coram R. P. D. Gypſio, & deeſ.* 671. *Narnien. legit.* 17. *Apr.* 1587. *coram Card. Seraphino*, proùt etiàm nouiſſimè refert, & ſequitur *Sigiſm. Scac. de commerc.* §. 2. *gloſ.* 5. *nu.* 104. 148. *&* 177. Et docent communiter Theologi, vt apud *Layman. to.* 1. *moral. Theol. ſect.* 5. *tract.* 2. *p.* 1. *cap.* 5. *nu* 13. *& Bonacc. de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 13. *punct.* 3. Ratio communis eſt, quia in tali contractu directè, & primariò intentio contrahentium fertur in eandem determinatam ſpeciem, & numerum monetarum, indirectè verò, ſecundariò, & indeterminatè in publicam æſtimationem, & valorem earum. Quid autèm iuſtius eſt, quàm pacta ſeruari *l.* 1. *de pact. l.* 1. *de Conſtit. pecun. & l. ſemper in ſtipul.* 34. *Contractus ex conuentione legem accipere eſt regula Iuris*.

2 Secundo ſi eiuſmodi pacto intercedente ea moneta in vſu non ſit, & ſit totalitèr reprobata, vel in bonitate intrinſeca, aut detractione minor, aut mixtione vilior, aut etiam additione maior, & melior facta; ſoluenda eſt eiuſdem monetæ æſtimatio, quam publicè habebat tempore contractûs, idèſt tot monetæ ſoluendæ ſunt, quæ compleant ſummam æſtimationis debitæ contentam in contractu. Ità in terminis definitur in *cap. olim, & cap. Cum canon*; *ibique DD. communiter de cenſ. & cap. Quantò de iureiur. Bart. & DD. in l. Paul. de ſolut cit. l. cum quid ff. ſi cert. petat. & l.* 1. *&* 2. *C. de vet. num. pot. lib.* 11. Cum omnibus ſupracit. vbique & vno ore in *l. eleganter*, §. *qui reprobos ff. de pignor. act. & in tract. diu. Landen. nu.* 16. *&* 26. *Curt. nu.* 4 *Regn. nu.* 9. *Brun. p.* 2. *&* 4. *Rener.* 1. *max. & cap.* 3. *&* 4. *Sola caſ.* 21. 22. 23. *&* 41. *Theſ. vbique præſertim concluſ.* 11. 1. *caſ. &* 12. latiſſimè *Gabriel lib.* 3. *de ſolut. concluſ.* 1. *Surd.* frequenter. *Mareſcott. lib.* 1. *cit. cap.* 94. *Cenc. de cenſ. cit. n.* 11. *&* 26. *& Rota omnes ſupra allegata*, quas cum communi DD. ſequitur *Scacc. ead gloſ. nu.* 177. & docent pariformiter Theologi apud *Layman cit. nu.* 12. Ratio eſt, quia ſic meliori modo, quo poſſibile eſt, æquè adimpletur intentio contrahentium, quæ eſt de eadem ſpecie, vel ſi ea non ſit, de eius æſtimatione in contractu contenta.

3 Tertiò. Si ſtante eodem pacto eadem moneta in vſu ſit, nec ſit in bonitate intrinſeca mutata, difficùlter tamèn, & inſufficientèr ad ſatisfaciendum contractui reperiatur, ſoluenda eſt eiuſdem monetæ æſtimatio, quam habet tempore faciendæ ſolutionis, ideſt tot aliæ monetæ ſoluendæ ſunt, quæ ſimul adæquent æſtimationem, quam tùnc publicè habet

bet ſpecies, & numerus monetarum in contractu debitarum. Ità etiàm definitur in *d.cap.olim*, *& cap. cum Canon. per gloſ. DD.* Et de communi omnium, ſæpiùs in Rota approbatum, refert, & comprobat *Rot. diuerſ. dec.688.in Aretin.penſ.20.Febr.1598.coram R.P.D. Litta*, *& in vna Bononien.coram ManZanedo dec.119. & in alia apud Seraphinum 1.par. deciſ.84.& apud Cenc.dec.215.cit.coram Sacrato nu.5. & deciſ.216.num.6. coram Penia*, vt etiam refert, & ſequitur *Cenc.cit.nu.12.& 25.Scacc.§.2. gloſ.3.nu.120.& ſeqq.* & ſic communiter omnes *in tract. diu. & extrà*, idem docentibus Theologis *loc.cit.* Ratio eſt; quia dum certa eſt æſtimatio monetæ debitæ, vel ipſa, vel ſaltem ipſius æſtimatio, quæcunque ſit manet ſolutioni obligata; ad impoſſibile enim nemo tenetur. *l.Impoſſibilium ff.de reg. iur.* & paria ſunt iſto caſu impoſſibilitas, & difficultas, vt plenè *Scacc.ead.gloſ.nu.111.cum Rot.proximè cit.*

Quartò. Vbi nullum præcedit pactum de aliqua ſpeciali moneta, ſed in moneta generica, & purè vniuerſali, vt ſcuto, & libra, vel alia huiuſmodi, quæ à quacunque ſpeciali abſtrahitur, contractus celebratur: quæcunque moneta viliſſima excepta, & ſub pretio currente ſolutioni libera relinquitur, ac ſufficit ſoluere præſcriptam ſummam ſcutorum, & librarum eiuſdem rationis, & valoris. Eſt communiſſima DD. & præiudicata ſententia per *l. 1. §. æſtimatarum, & §.æſtimatas C. de rei.vxor. actio. l.plerunque. §.ſi ante ff.de iur.dot. Bart.& DD.in l.Paul.cit. l.3.ff.locat.l.cum aurum,& l.certum ff. de auro,& arg.leg.l.nummis in fin.ff. de inlit.iur. Bald.& DD.in l.quoties in fin.C.de iur.dot.l.æſtimatis, & l.æſtimata ff.de ſolut.l.fin.C.de vet.num.pot.lib.11.l.certi condic. §.fin.ff. ſi cert. petat.l.ſi ex pretio C.eod.* vt latè etiam referunt, & ſequuntur communitèr *in tract.diu.Brun.præſup.2.nu.11.12.& 13. & par.2.nu.3. Rener.2.max. nu.28.& ſeqq.& cap 2.4.5.6.15.& 23.Sola caſ.1.2.3 8.& 9. Theſ.reſolutoriè 2.p.caſ.5. Faber cap.9.24.& concl. 5.cum Bald. conſ. 339.& 424. lib.2.& conſ.213.lib.5.Tiraq.retr.conſ.§.1.gloſ.14. num.20.& 21. Alex. conſ.79.lib.5.& conſ.156.lib.6.Soccin.ſen.conſ.6.lib.1. & conſ.298.lib.2. Gabr.lib.3.de ſolut.concl.2.Couar.de vet.num.col.cap.7.§.vn.concl.9. Surd. in ſpecie conſ.335.& 392.vol.3.Menoch.conſ.49. Cenc. quæſt.cit.num.15. gloſ.5.cit.nu* 116.145.& 184. Et ſic communiſſimè omnes, tàm antiquiores, quàm medij, quàm recentiores, prout etiam iudicauerunt *Rot.Rom.apud* Seraphinum *dec.84.nu.10.& dec.964. quæſt. 1. Rot. Auenion.dec.41.in dec.diu.& Pedemon.* 174. & alia ſuprema Tribunalia frequenter teſte *Theſ.2.p. nu.*49. Nouiſſimè verò his noſtris temporibus, communi Iurium rationum, & DD. tàm Iuriſtarum, quàm Theologo-

rum conſenſu ſæpius deciſum, & facti obſeruantia comprobatum in Regnis Hiſpaniarum, plenè habetur in *nou.dec.Sacri Regij Senat.Granat. anno* 1636. *impreſſis à diſp.* 13. *vſque ad* 24. Quod etiam ex Theologis confirmat *Molin.diſp.*312.*Rebell.*2.*p.lib.*11. *q.*15. *nu.*12. & in Imperio *Layman cit.nu.*15. Ratio eſt, quia ſcuta, & libræ tantùm in obligatione ponuntur, indeterminata manente moneta, quòad æſtimationem, & materiam, ex qua dicta ſcuta, & libræ in ſolutione extrahantur.

5 Quintò. Scutum, & libra, & aliæ purè genericæ, & vniuerſales monetæ abſtrahentes á quacunque ſpeciali, & determinata materia, & tantùm concernentes determinatam æſtimationem, & valorem, differenter ab alijs monetis, quæ materiam includunt, intelliguntur eſſe eiuſdem rationis, & valoris, quandocunque conſtant eodem numero quadrantum, & denariorum, quibus vltimò in ſua ratione, & valore conſtituuntur. Eſt receptiſſima doctrina *Bart. in l Paul. cit. nu.* 7. per rationem, quam eruditiſſimè affert, quia huiuſmodi moneta minuta, cum ſit menſura æſtimationis cæterarum, & ipſa per aliam non æſtimetur, non poteſt deteriorari reſpectu æſtimationis ſuæ, & conſequenter in certo numero ſumpta, conficit perpetuò libram eiuſdem rationis, & valoris. Idem communiter *DD.in tract.diu.Lauden.nu.* 20. *& latius* 33. *per Angel. in l.fin.de vet.num.pot.& de mat.mo.Iacob.Butr.in d.diſput. Alberic. in l.cum quid,& ibi Bald. Angel.& Fulgoſ.in l.*2 *§.*1 *ff.ſi cert.petat. in l. vinum, & cap.quanto de iur.iur. Io.Andr.Ant. de Butr. & Bald.l. illum C. de ſacroſ. Eccleſ.& in l.acceptam C.de vſur. Brun.ſæpè, & præſertim limit.* 1. *Theſ.* 2.*p.caſ.*5.*& diſtinctiſſimè Faber cap.*3.*verſ.tunc enim, cap* 13. *verſ.florenorum enim ſpecies,& cap.*21.*verſ.illud etiàm obſeruandum cum* Socin.*ſen. in terminis conſ.*6. Idem de communi mente DD. ſequuntur *Hieron. Gabr.conſ.*164.*vol.*1.*Surd.latiſſimè conſ.* 335.*vol.*3. *Menoch. conſ.*49. *Cenc. quæſt.cit.nu.*15.*poſt Couarr. d.cap.*6.*concl.*9. & poſt omnes eleganter explicat *Scacc.§.*2.*gloſ* 3.*nu.*54. ſicq. iudicando procedunt *Rot. cit. in Foroliu.cenſ.coram Iuſto dic* 214.*in Rom.pecun.coram Penia dec.*216. *& in alia pecun.Ceſenat.coram eodem dec.*220. Pleniſſimè autem, & formaliſſimè, theoricè, & practicè comprobatur in *nou.dec. Senat. Granat. diſp.* 13.*nu.*25.*&* 26.*d.*14.*nu.*30.*d.*17.*nu.*20.*d.*21. *num.* 24. *& d.*22. *num.*6. Vbi, & generali Pragmatica Regij Conſilij, & pluribus Senat. dec. definitum, ac in praxi communi conſenſu ſeruatum in ſolutione cuiuſcunque quantitatis in genere ad rationem Marauendinorum, latè refertur. Idemque nullo contradicente Theologorum refert *Molin. diſput.* 312. *to.*2.*& perdoctè explicat Fillinc.to.*2.*Moral.Theol. tract.*34. *par.*2. *cap.*3. *nu.*55.

Digitized by Google

*nu.* 55. Ratio eſt, quia huiuſmodi moneta purè generica, non certum pondus, aut materiam in ſua ratione importat, ſed certam tantùm, & genericam æſtimationem minimo aliquo, & indiuiſibili numiſmate menſuratam. Neceſſarium enim eſt in genere pretij eſſe aliquam primam regulam, ne Ciuilis communicationis Iura confundantur.

Sextò. Si ſcutum, & libra, vel alia vniuerſalis moneta in obligatione poſita à Principe varietur, ità ut non amplius ſit eiuſdem, ſed maioris, vel minoris numeri quadrantum, & denariorum, tunc quæcunque moneta ſoluatur rationanda eſt ad ſcuta, & libras eiuſdem rationis, prout erant tempore contractus. Eſt communiſſima omnium nullo dubitante, quos hactenùs allegauimus, & latè *in tract. diuerſ. Brun. Rener. Sol. Theſ. & Fab.* & vbique conueniunt omnes, tam antiquiores, quàm medij, quàm recentiores communi etiàm vſu Hiſpaniarum comprobatur à *Molin. diſp.* 278. *nu.* 7. & plenè *in dec. Granat. cit.* Ratio eſt manifeſta, quia hìc, vt ſuprà moneta ſolutioni debita, cenſetur in melius, aut deterius intrinſecè mutata, necnon diuerſæ rationis pœnitùs effecta, & intentio contrahentium eſt de ea in eadem ratione, & bonitate, qua extat tempore contractus. 6

Septimò. Omnes prædictæ Concluſiones de Iure procedere cenſeantur, vbi nulla multorum annorum ſpecialis conſuetudo aliud in contrarium expoſcat, quià ea præcipuè in hac materia monetarum, præſertim inter perſonas priuatas ſemper eſt æmulanda, & cuicunque Statuto, & generali etiam conſuetudini præferenda: Eſt æquè cum præcedentibus communiſſima DD. ſententia *per l. Iulianus, §. proinde ff. ad maced. l. ſi de interpretatione ff. de legi. Bart. & DD. in l. cum de re in rem. verſ. ff. de vſur. l. vniuerſ. §. per Colonum ff. de acquir poſſ. l. litibus, verſ. longinqua, & inueterata redditum ſuſceptio C. de agric & cenſ. lib.* 11. *Bald. Ang. Iaſon, & DD. in l. ſi certis annis C. de pact. gloſ. Iaſ. & DD. in l.* 2. *C. de Iur. Emphith. not. DD. in cap. quanto de iur. iur. cap. olim à contrario ſenſu, & cap. cum Canon de cenſ. cum tit. gloſ & DD. in cap. conquerente de offi ord. no. & alibi frequenter Bald. conſ.* 338. *vol.* 1. *Roman. conſ.* 123. *Alex. conſ.* 21. *vol.* 2. *Signor. conſ. ſeù queſt.* 74. *Aretin. conſ.* 112. *Corn conſ.* 181. *vol.* 2. *Gabr. lib.* 3. *de ſolut. concl.* 1. *&* 2. *Theſ. ſen. dec.* 214 *&* 225. *cæterique communiter*, ità vt in tali obſeruantia non requiratur præſcriptio, & ſufficiat modicũ tempus, cùm ſit conſuetudo interpretatiua, quæ non requirit tempus, vt plenè oſtendunt *Brun. limit.* 4. *nu.* 8. *Laud. nu.* 31. *& in ſpecie Colleg. Papien. conſ. de mo.* & plures congerendo *Rener. cap.* 20. *nu.* 11. *& cap.* 24. *nu.* 17. *ſol. caſ.* 11. *Theſ. concluſ.* 14. *Aym. conſ.* 201. *Menoch. conſ.* 49. *Sard.* 7

*conſ.*

*conſ.220.vol.2.& plenè conſ.335.vol.* 3. Idem poſt omnes *Cenc. de cenſ. cit.nu.* 31.*& poſt ipſum Duard.etiam de cenſ.to.*1.§.3.*quæſt.*6.*nu.*16.*&* 32. *& to.*2.§.5.*q.*7.*nu.*6. Itaùt nullo contradicente communiſſimè teneatur, & ſit generalis limitatio in hac materia monetarum ab omnibus adhibita, prout etiàm iudicando ſequitur *Rot. Rom. citat. in Roman. precen. dec.*221.*coram Orano, & in nou.diu.dec.*365.*&* 375. *coram Manzanedo*, ac nouiſſimè etiam comprobatur *in deciſ.granat.cit.d.*24. *nu.*17. Idemque docent communiter Theologi *loc.cit.* & vniuerſaliter *in tract. de conſuetud.& præſcript.* Ratio ab omnibus adducta eſt manifeſta, quià obſeruantia ſubſequuta efficaciſſime declarat intentionem contrahentium, ex qua contractus legem accipere dignoſcuntur.

8 Vltimò ex omnibus his ſpecialiter in Sereniſſima Genuenſi Republica, cuius optimo regimine monetæ omnes vniuerſales, ſcuta, & libræ eiuſdem inuariatæ rationis, vt conſtat, rectiſſimo ordine præſeruantur, neceſſariò infertur, monetas omnes, tàm in cenſibus, quàm in eorum fructibus, & alijs contractibus in ſcutis, & libris celebratis, ( nonnullis, vt infrà ſpeciali ratione ſecluſis ) vti etiam ( proùt referunt ijdem Conſultores in Conſilio de quò infrà) olìm decreuit Sereniſſimus Senatus, & immemorabili quadam conſuetudine ſeruatur, pro æſtimatione, & pretio quotidie currente, eſſe ſoluendas, & conſequenter nouos Augmentarios ab augmentis exigendis inhibendos, ſimulque ad ablata reddenda cogendos.

Hæc omnia, quę tanquàm communes regulas, & firma veritatis fundamenta ex communi Iurium, & DD. & Tribunalium ſententia prò præſenti quæſtione poſuimus, etſi ſe ipſis viro prudenti prò iudicio ferendo ſat erint, latiùs tamèn, & pluribus infrà eorum firmitatem, ſingula expendendo, indicabimus, vt litigioſis etiàm omni cauillatione detecta, manifeſtiùs innoteſcant.

A R-

Digitized by Google

# ARTICVLVS II.

## Quod nam habeat hæc noua poſitio Augmenti fundamentum.

CAVILLANTIVM litigia redarguentes iuuat præ omnibus fundamentum, & alia ſuæ poſitionis munimenta denudare, vt Iuribus ex vtraque parte pertactis, nihil, quod prædictæ veritati obſtare valeat præteriſſe videamur. Multiplex enim communiter cum DD. augmentum præfati Conſultores agnoſcunt, ac de quocunque cui debeatur per Ciuiles, & Canonicas definitiones palàm eſſe intuentes, tale augmentum, cæteris prætermiſſis in Sereniſſima Republica ſtatuère contendunt, quod Iura, & DD. creditori deberi fateantur. 9

Dicunt ergò in primis, monetas omnes, quantumuis multis ab hinc annis in communi æſtimatione, & pretio excreuerint, taliter tamen fuiſſe augmentatas, vt veriùs eas nuncupari debeamus deterioratas; Quod alio quidem fundamento aſtruere non valent, quàm quia volunt omnes monetas maiores auctas fuiſſe ex introductione cuiuſdam monetæ minutæ in ære deterioris, Ex qua effectum eſſe dicunt, vt libra, quæ ex huiuſmodi moneta conficitur, licèt non ſit variata in numero, variata ſit tamen in valore ſolidorum, quibus æſtimatur; ità quòd non recipiat functionem in genere ſuo, nèc ſit eiuſdem bonitatis, & valoris, prout antiquitùs erat; & ſic remaneat intrinſecè deteriorata, in quo perindè eſt, ac ſi nummus ipſe aureus, & argenteus, & alia quæcunque moneta eſſet deterior facta, & hanc eſſe cauſam, cur modò plures libras valeat, quàm anteà, quià ſcilicèt libræ antiquæ erant adeò bonæ, vt nouem illarum vnam dupplam auream valebant, nunc verò hæ libræ currentes ſunt adeò deterioratæ, & paruæ, vt ad vnam dupplam plures quatuordecim requirantur, eo quòd tantum, nec plus valent libræ quatuordecim hodiernæ, quàm nouem antiquæ; ideoque concludunt in hoc caſu faciendas eſſe ſolutiones debitorum in moneta ad valorem, quo currebat tempore contractus, cùm iuſtè fieri non poſſint, niſi in libris bonis eadem bonitate intrinſeca, prout tunc temporis erant, alitèr minus debito ſolueretur, quod eſſet iniuſtum. 10

Id

Id ſanè optatiſſimum quidam creditores in varijs Reipublicæ locis vtraque manu ampleсti non dubitarunt, & contrà ſuos debitores executionem in tribunalibus impetrare, eiuſmodi conſilium exhibentes, quò totum id habetur in hæc verba formalia, vt hic libet inſerere.

11 *Perilluſtres DD.VV. Nos conſuluerunt. Primò, an ſolutio annui cenſus librarum 168. moneta Genuæ, qui venditus fuit anno 1584. pro pretio librarum 2400. pariter moneta Genuæ, fieri debeat in monetis rationatis, pròut nunc communiter expenduntur, putà in ſcutis argenteis rationatis valore librarum quinque, & ſolidorum 18. vel in libris antiqua bonitatis, & qualitatis, ſcilicet in monetis rationatis, pròut expendebantur tempore venditionis dicti annui cenſus, & ſic in moneta Cartularij S.Georgij.*

*Secundò. In qua moneta ſi venditor ſe redimere vellet, id facere deberet.*

*Tertiò. Quid ſi creditor aliquando exegit in moneta Cartularij, aliquando in moneta currenti ſecundum varietatem temporum.*

*Quartò. Quid iuris in alijs obligationibus, ſiuè à teſtamento, ſiuè à quolibet alio contractu procedentibus, & per conſequens, quæ nàm ſint partes Perilluſtris Magiſtratus in decidendis huiuſmodi controuerſijs, ortis occaſione variationis monetarum.*

*Reſpondemus in omnibus vt infrà. Quoad primum, ſolutionem præfati annui cenſus fieri debere in moneta Cartularij, rationato ſcuto ad valorem anni 1584. quando eſt contracta venditio; Ratio eſt, quia verſamur in duplici qualitate monetæ, altera vigebat tempore contractus, & vſque in hanc diem in ſuo iuſto valore conſeruatur, nimirùm moneta Cartularij; altera eſt, quam introduxit curſus monetarum contaminatarum, qui Ciuitatem inuaſit poſt annum 1606. nec aliquo Edicto potuit aboleri, & hanc currentem dicimus, quæ diſtinctio communiter cognita eſt, vt patet ex contractibus, quorum aliqui de moneta Cartularij, aliqui de moneta currenti procedunt. Ergò videtur extrà difficultatem, quòd ſolutio fieri debeat in eadem proba, & iuſti pretii pecunia, non autem in ea, quæ de nouo ſuperuenit contaminata, & ideò in his terminis non diſputant DD. ſed in caſu, quando tempore contractus duplex eſt monetæ ſpecies, vt Bart. ad l. Paul ff. de ſolut. vel quando variatus eſt valor monetæ à die contractus ad diem ſolutionis, quià verè noſter caſus videtur parùm dubitabilis. Si enim tempore contractus nulla erat monetæ variatio, & eadem erat moneta Genuæ, & moneta Cartularii, & contrahentes loquuti ſunt de libris Genuæ, certè de aliis non potuerunt intelligere, quàm de illis, quæ tunc erant l. Rutil. &c. neque videntur de mutatione poſtea contingente cogitaſſe.*

*Confirmatur primò. Etiam ſi non daretur hæc duplicitas monetæ, ſed verſaremur*

*ſaremur in caſu moneta aucta à die contractus ad diem ſolutionis, adhuc procedit concluſio.*

*Probatur primò. Nam vbi moneta facta eſt deterior in bonitate intrinſeca, ſolutio debet fieri de antiqua moneta, vel noua ſecundum valorem antiqua. Bart. d. l. Paul. & in l. Cum quid ff. ſi cert. petat.* Surd. *conſ.* 151. *&c. Theſ. de mo. p.* 2. *caſ.* 2. *idque locum habet, quamuis obligatio ſit de moneta imaginaria, vt ſunt floreni, libra &c. cuius nulla ſpecies reperitur* Surd. *conſ.* 220. 392. *&* 454. *nam licèt libra non varietur in numero, variatur tamen in valore ſolidorum, quibus æſtimatur; Ex quo fit, vt ſi moneta minuta fiat deterior, ſubſit variatio in bonitate intrinſeca ipſius libræ.* Surd. *conſ.* 368. *in quo caſu perindè eſt, ac ſi nummus ipſe aureus, & argenteus eſſet factus deterior. Brun. de mo. concl. vlt. concl.* 6. Surd. *conſ.* 406. *Theſ.* 1. *par. concl.* 3. *qui ait, quòd ſi Marca, tempore diſpoſitionis continebat ſolidos* 576. *monetæ tunc currentis, tempore autem ſolutionis continet ſolidos* 640. *liquidari debet augmentum ſolidorum* 64. *pro ſingula Marca; Quod eſt dicere, cum tempore diſpoſitionis Nummus argenteus conſtaret libris quatuor, & ſolidis* 10. *Nunc verò continet libras* 5. *& ſolidos* 18. *debetur augmentum ſolidorum* 28. *pro ſingulo ſcuto argenteo, vel quod idem eſt, æſtimandus eſt nummus argenteus libris quatuor cum dimidia, & pro tot ſoluendus, & non amplius. Et hæc procedunt, etiam ſi moneta minuta ſolùm variata ſit in bonitate intrinſeca, moneta verò maior aurea, vel argentea, eiuſdem ſit bonitatis intrinſecæ, ſed eius valor creuit tantùm extrinſecè ob deteriorationem monetæ inferioris; quia in hoc caſu quoad effectum in nummis aureis, & argenteis dicitur conſiderari bonitas intrinſeca reſpectu monetæ minutæ deterioris; ideoquè debetur augmentum, quamuis in æſtimatione tantùm, & ſic in bonitate extrinſeca creuit moneta maior propter tex. in d. l. Paul. Theſ.* 1. *par. concluſ.* 6. *&* 7. *& p.* 2. *caſ.* 5. Surd. *dicto conſ.* 368. *Et ratio horum omnium eſt, quia aliàs minus debito ſolueretur &c. Ergò à primo ad vltimum, cum ab anno* 1584. *Moneta minuta deterior ſit, vndè libræ ſunt intrinſecè mutatæ, concludendum eſt, mutatam etiam intrinſecè quoad effectum bonitatem monetæ maioris, & ideo eam eſſe rationandam in ſolutionibus habita ratione ad tempus contractus.*

*Deterioratio autem monetæ, præter quàm quòd Iure præſumitur.* Surd. *d. conſ.* 368. *& Iuris præſumptio eſt liquidiſſima probatio; ea notoria eſt; nàm tunc temporis vna libra ſolidorum in pondere includebat tantummodò libras in numero* 14. *cum dimidia, nunc verò* 17. *& ferè* 18. *libras continet, quod accidit ex inæqualitate ſolidorum in pondere, & hominum induſtria, qui ſolidis maioris ponderis fuſis, deteriores in vſu reliquerunt,*



Digitized by Google

*quorum plures ad libram conficiendam requiruntur. Hinc eſt, quòd vbi libris 4. cum dimidia argenteus emebatur, nunc nonniſi libris 5. & ſolidis 18. emitur.*

*Probatur ſecundò. Quia inter* Contrahentes *cenſetur actum de libris illius temporis, quia non ad caſus futuros, ſed ad præſentes tantum contrahendo reſpicimus. Ergò ſi adſunt libræ in ſpecie illius temporis, quarum pauciſſimas reperiri intelligo, ex illis fieri debet ſolutio, ſi non adſunt, facienda eſt in moneta æquivalenti, qualis non eſt libra noſtri temporis; cùm experimento oſtendatur, 28. ſolidos huius temporis requiri ad æquandum pondus antiquæ libræ, cuius æquivalentia eſt ſoluenda, nè minus debito ſoluatur.*

*Probatur tertiò. Nàm aliàs ſequeretur rem, quæ vendita fuit iuſto pretio, minori, atquè iniuſtiſſimo vendi. Guid. Pap. deciſ. 493. pro capitali implicato ad rationem ſex, aut ſeptem pro centenario, ſolui duo, aut tria futurum, vt nunquàm Cenſus redimeretur. Ergò veriſimiliter actum eſt de antiqua moneta &c.*

*Probatur quartò. Quia monetæ illæ, propter quas aureus eſt auctus ſunt à Principe reprobatæ, vt liquet ex proclamatibus. Ergò de augmento propter ipſas facto, nulla ratio debet haberi; & propterea neque poſſet allegari aliqua Conſuetudo, cum eaſu, quo eſſet, abuſus diceretur.*

*Probatur quintò. Quià Creditor non cogitur ſolutionem accipere in monetis æreis, niſi reſpectu exiguarum ſummarum ex decreto anni* 1461. *Non igitur æſtimatio grandium monetarum debet referri ad monetas æreas, ſed ad eas, quas debitor tenetur ſoluere; ſi enim cogeretur accipere monetas maiores relatiuè ad illas æreas, indirectè cogeretur æreas accipere.*

*Probatur ſextò. Quia in ſpecie de annuis Cenſibus, quòd ſoluantur in moneta rationata ad valorem temporis contractus eſt tex. in cap.* Olim *de Cenſ. vbi Abb. & alij &c.* Cenc. *de Cenſ. Vbi legitur ſæpè ità deciſum à Rot. Rom. Genua, & in ſupremis Italiæ Tribunalibus iudicatum.*

*Quoad ſecundum. In qua nimirùm moneta, ſi venditor ſe redimere vellet, id facere deberet; Idem omninò dicimus ob eadem Iura.*

*Quoad tertium. Videlicet, quid Iuris, poſito, quòd* Creditor *aliquandò in moneta Cartularij, aliquandò in moneta currenti exegerit, Idem omninò cenſemus; nàm ex hac varietate colligitur, Conſuetudinem pro neutra parte poſſe allegari, & ea ſolutione non poſſe colligi promiſſionem. Immò ſi conſtaret de aliqua conſuetudine, illa, vt diximus, abuſus eſſet, & aduersùs eam allegarentur indicata per Tribunalia cùm DD. qui negant in Cenſibus dari Conſuetudinem præſcriptiuam.*

Quoad

*Quoad quartum. Idem etiam reſpondemus, nam ſuprà allegata militant &c.*

In fine ſubijciunt. *Poſt hæc vidimus particularia quædam Decreta Sereniſſimi* Senatus *mandantia, quòd fructus quorundam* Cenſuum *ſoluantur in monetis calculatis ſecundùm valorem currentem tempore ſolutionis, non autem tempore contractus; Quibus decretis non obſtantibus in eadem ſententia perſiſtimus; nàm quicquid ſit in illis locis, de quibus loquuntur dicta Decreta, de quorum authoritate non quærimus, certum nobis eſt, ſuperius relata de Iure procedere.*

Hoc eſt igitur eorum ſingulare fundamentum, in quò ſuam nouam poſitionem principaliùs moliri nituntur, quamuìs etiam ad eam latiùs muniendam, alia tametſi ruditer eorum Clientes communia argumenta obijcere pertentent.

Primò. In omni commutatione tantum poteſt iuſtè quis accipere, quantum dedit. Ergò qui dedit 100. Nummos aureos, poteſt & 100. 12
Nummos aureos iuſtè repetere, & ſic eorum augmento gaudere.

Secundò. Qui mutuos dedit 100. aureos in Contractu ſpecificatos, poteſt totidem numero aureos, etiam ſub qualibet pretij variatione iuſtè repetere. Ergò etiam qui eos dedit non ſpecificatos, ſed ſolùm in libris deſcriptos, poterit eoſdem eodem modo iuſtè repetere; cum eadem ſit vtrobique quantitas, & qualitas rei datæ, & per conſequens idem Ius contrà accipientem; aliter non accipiet tantum pondus auri, vel argenti, quantum ſuo debitori dedit, quod videtnr iniuſtum.

Tertiò; Libra non eſt moneta realis, & effectiua à cæteris diſtincta, ſed ex alijs monetis conſtituta. Ergò ſi reſtitutio facienda eſt in eiſdem libris, fieri debet in eis ad rationem monetæ realis currentis tempore Contractus, vt ſit iuſta.

Quartò. Contractus ſortis, quo plus, vel minus datur, quàm accipitur eſt licitus, quia vterque Contrahens exponit, ſe æqualiter periculo lucrandi, & perdendi. Ergò cùm moneta ſit æqualiter expoſita ad augmentum, & decrementum, poteſt mutuator eius augmento licitè gaudere, ſi augmentatur, ſicut mutuatarius eius decremento licitè gauderet, ſi diminueretur.

Quintò, & vltimò. Nemo ex Iuſtitia tenetur ad patiendum ab altero damnum. Ergò cùm ſit ad damnum dantis, quòd augmento ſuæ monetæ priuetur, quo aliàs non priuaretur, ſi eam apud ſe retineret, videtur, quòd ſibi augmentum ex Iuſtitia debeatur, præſertim, cum ad accretionem monetarum pretia quoque cæterarum rerum augeri



Digitized by Google

geri videantur, ad quas propterea emendas, ſemper requiri videtur idem numerus monetarum, ex quo maximum neceſſe eſt ſequatur detrimentum mutuantis, ſi ſibi quoque, non ſit reddendus idem, ſed minor numerus ſuarum monetarum.

# ARTICVLVS III.

## Quid, & quotuplex ſit monetæ Augmentum.

13 NOVIMVS, quæ in præſenti queſtione excutienda ſuſcepimus. Nunc recti iudicij gratia ea in prima principia reſoluenda cenſemus, vt ijs præcognitis, de cæteris euidentiùs philoſophemur. Non erit modum ſubiectæ materiæ excedere, quandoquidem Philoſophus, eiuſquè præclariſſimi Commentatores, hanc eandem materiam *in* 5. *Eth.* altioribus principijs arithmeticarum, & geometricarum proportionum liquidiſſimè determinant.

14 A primis igitur, & communioribus incipientes, ſuppoſita origine pecuniæ, quæ teſte *Iſid. lib. 6. Orig. cap. 17. de pecudibus proprietatem habuit, & nomen*; nomen quidem, quia, vt tradit, & *D. Auguſt. lib. de diſcipl. Chriſt. cap. 6.* Et refertur *in 1. quæſt. 3. cap. totum, primùm à pecore, ſeu pecude pecunia vocata eſt, quia antiqui, totum, quod habebant, in pecoribus habebant, vndè, & peculii nomen deductum eſt.* Proprietatem verò, quia prius de corio pecudum, poſteà de ære, deindè de argento, & poſtremò de auro, primò quantitate, & pondere ſimpliciter definita, poſtmodùm verò etiam ſigno impreſſa fuit, diuerſimodè à diuerſis, in diuerſis locis, & temporibus, vt variè referunt Hiſtorici. Primam enim pecuniæ inſtitutionem à *Caino*, qui primus ædificauit Ciuitatem refert *Ioſeph. lib. 1. antiq. cap. 3.* &. ex *Corio* apud Lacedemonios fuiſſe *Senec. lib. 5. de benefic. cap. 14.* Aereã à Saturno primò percuſſam, propterea, & Aerarium Saturno à Gentilibus conſecratum *Iſid. loc. cit.* Argenteam à Phedone *Strabo lib. 8.* Auream à Philippo Magni Alexandri Patre. *I. C. in l. Quintus Mutius* 27. *§. fin. de aur. & argen. leg.* vt ibi ex *Plauto*, & *Horatio* probat *Gothofred.*

Digitized by Google

*thofred.* Ex alijs etiam metallis, ferro, plumbo, orichalco veteres confeciſſe pecuniam; nec tantùm olim è metallis, ſed hodiè etiam ex Cortice, & papyro Scithas, ex ſale coćto incolas Caniclæ, ex albis lapillis incolas Caraiæ, ex Corallio Tæbetinos, refert *Agric. de temp. mo. lib.* 2. Alia ſimiliter à veteribus pecuniam habuiſſe vocabula notiſſimum eſt, Quorum tria generalia potiſſimè celebrantur; *Moneta*, *Nummus*, *&* *Numiſma*. Moneta ſecundum *Agric. lib.* 1. *de mo. à monendo appellata; nam ſigno, ſignisue in ea impreſſis de aliqua re monemur, & quidem, vel de eius auctore, vel de pretio, vel de re geſta*. Secundum autem *Iſid. lib. cit. appellata eſt moneta à moneo, quia monet, ne fraus in metallo, vel pondere fiat*, & ſecundum *D. Thom. lib.* 2. *de Regim. Princ. cap.* 13. *moneta dicitur, quia monet mentem, nè fraus inter homines, cùm ſit menſura debita, committatur*; Nummus autem ſecundùm *Ariſt.* 5. *Eth. cap.* 5. *appellatur à Nomo, ideſt lege, eò quòd non natura, ſed lege conſtat*. Numiſma vero ſecundùm eundem *Iſid.*, *quia nominibus Principum, effigiebuſquè ſignatur*.

## Diuiditur moneta, eiuſque mutatio.

15 His vtcunquè ſuppoſitis, tanquàm DD. notiſſimum, & ſenſu perceptum præmittimus, duo reperiri genera monetarum; vnũ, quod eſt moneta realis, & effećtiua, & dicitur communiter ſpecifica, vt aureus, duppla, regale, & aliæ, quæ in percuſſa materia publicè traćtantur; aliud, quod in nulla propria materia percuſſum per alias ſpecies monetarum publicè vagatur, & dicitur communiter moneta generica, & vniuerſalis, vel etiam imaginaria, cuiuſmodi ſunt ſcutũ, & libra Genuæ, vbi in nulla propria materia percuſſæ habentur, & ex alijs omnibus ſpeciebus promiſcuè conficiuntur.

16 Moneta realis, & ſpecifica eſt, de qua ad neceſſitatis humanæ commercia. *Paul. l.* 1. *de contrah. empt. Elećta materia eſt*, inquit, *cuius publica, & perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubueniret, eaquè materia, forma publica percuſſa, vſum, dominiumquè non tàm ex ſubſtantia præbet, quàm ex quantitate*; Ex qua lege colligunt communiter DD., duplicem monetæ bonitatem, & valorem, alterum intrinſecum, nomine *ſubſtantiæ*, qui conſiſtit in eſſentiali perfećtione, & pondere materiæ publica forma percuſſæ; alterum

terum

Digitized by Google

terum extrinſecum, nomine (*quantitatis*) qui conſiſtit in publica æſtimatione, quæ de tali materia habetur, quilicèt ſit monetæ, qua talis eſt intrinſecus, quatenus eius rationem, & eſſentiam formaliter conſtituit, vt per *d. l.* 1. ibi, *non tàm ex ſubſtantia, quàm ex quantitate*, notant communiter *DD. Panorm. cum Canoniſt. in cap. quanto de Iur. iur. & per l. Labeo* §. *Sabinus. ff. de verb. ſignif. Lauden. de mon. nu.* 18. *Brun. par.* 1. *num.* 8. *& par.* 2. *num.* 2. *Couarr. de vet. Numiſm. col. cap.* 7. *num.* 2. *Menoch. conſ.* 49. *num.* 39. *& ſic omnes, vt refert Rener. de mon. cap.* 1. *num.* 5. & ideò *non iniquè conſubſtantialis vocabitur*, vt ſubdit *num.* 16. ac latiſſimè Iuriſtarum, & Theologorum conſenſu eruditiori diſcurſu comprobatur *in nouis deciſionibus Senatus Granaten. diſp.* 12. dicitur tamen ab omnibus extrinſecus, quatenùs extrà monetæ materiam in hominum mente perſiſtit.

17 Hinc autem, cum ſecundùm materiam, vel formam, vel vtrumque omnis mutatio contingat, diſtinguunt vlteriùs DD. monetæ mutationem, in intrinſecam, & extrinſecam, & ſimul ex vtraque compoſitam: quia nimirum poteſt moneta mutari, vel ſolùm ſecundùm materiam, ſicut ſi aliquid materiæ addatur, aut detrahatur, vel etiam purior, aut deterior materia cudatur, manente eadem communi æſtimatione, & pretio, quod ex iuſta cauſa à ſolo Principe fieri poteſt; vel ſolum ſecundùm formam, ſicut, ſi eadem materia omninò immutata manente, communis æſtimatio, & pretium iuſſu Principis, vel etiam opere hominum, publicè augeatur, aut minuatur, vt in dies videmus; vel ſimul ſecundùm materiam, & formam, ſicut, ſi ad mutationem materiæ, communis etiam æſtimationis, & pretij variatio ſubſequatur.

18 Eæ ſunt omnes, vt etiam poſt omnes *DD. in tract. diu. notat Layman. loc. cit. nu.* 10. & pleniùs *Auctor dec. Granat. d.* 12. quas pati poteſt moneta mutationes, ex quibus augmenti diffinitionem, & multiplicitatem eruere, facile erit. Ex hac enim triplici monetæ mutatione, triplex etiam augmentum, eiquè triplex oppoſitum decrementum ſequi poteſt. Ex mutatione quidem intrinſeca ſecundùm additionem materiæ in pondere, aut puritate, augmentum intrinſecum, & ſecundùm eius diminutionem, decrementnm intrinſecum. Ex mutatione autem extrinſeca ſecundùm additionem æſtimationis, & pretij augmentum extrinſecum, & ſecundùm eius diminutionem, decrementum extrinſecum. Ex mutatione verò ſimul intrinſeca, & extrinſeca,

ſecun-

Digitized by Google

ſecundùm additionem materiæ, & pretij, augmentum, quod erit ſimul intrinſecum, & extrinſecum, & ſecundùm vtriuſque diminutionem oppoſitum decrementum; quæ quidem locum habent in moneta, quæ ſub eadem figura, & ſuperſcriptione remaneat; quia, dum aliqua noua, & diuerſa moneta cuderetur, dicenda potiùs eſſet noua excuſſio, quàm præexiſtentis augmentatio, aut diminutio.

Præter hæc augmenta in qualibet ſpecie monetæ, per ſe, & abſolutè conſiderata, aliud etiam, vt aduertunt communiter *DD. in tract. diu.* 19
& in praxi *Layman. loc. cit. num.* 23. in vna ſpecie relatiuè ad aliam, præſertim in maiori relatiuè ad minorem, ex ficta quadam mutatione, contingere poteſt augmentum apparens. Cùm enim moneta, præcipuè argentea ſit duplex, minor ſcilicèt, & maior, ſeu minuta, & groſſa, & ambæ ſint eiuſdem generis materiæ, & altera per alteram menſuretur, debent etiam ſibi proportionaliter in pondere, & pretio correſpondere; itàut ſi fortè minuatur, vel aliqua noua mixtione deterioretur in materia, & pretio minor, debeat conſequentèr, vt proportionalitas ſeruetur, ab eodem Principe, vel ſimiliter in materia diminui, vel augeri in pretio maior; quia quò minores monetæ minutæ in materia, & pretio eduntur, eò plures in maiori, quam menſurant, & in qua virtualiter continentur, efficiuntur; ſed tamen, cùm idem pretium æquiualenter conficiant plures deteriores, ac paucæ meliores, non poteſt ex hoc dici, moneta maior verè augeri; ſicut, nec augeri dici poteſt pannus, qui priùs decem palmis, & poſtea 20. ſemipalmis metiatur; nec alia quæcunque res, cùm in plures, & minores partes diuiditur, aucta dici poteſt; quia, quod creſcit in multitudine, decreſcit in magnitudine, & cùm quantùm creſcit, tantùm decreſcat, nec verè aucta, nec diminuta dici poteſt, ſed tantùm apparentèr variata; Notant id, & explicant elegantiſſimè *in tract. diu. Brun. præſup. 1. nu. 9. & 10.* Et ex communi *DD. Rener. 2. max. num.* 34 vbi *notabilis*, ait, *deterioratio intrinſeca minutioris monetæ neceſſariò inducit augmentum pretioſioris monetæ manentis in eadem materia, & pondere, nec dicitur augmentum valoris, ſed æqualis commenſuratio, & proportio ad monetam deterioratam.* Cuius rationem exponens *Theſ. 1. par. num. 17. In æſtimatione*, inquit, *à peritioribus monetarijs id efficitur, vt iuxtà debitam proportionem, argentea moneta auream valeat, & aurea argenteæ correſpondeat, & æroſæ, quæ argento, & ære commiſcentur debito modo mediam viam teneant; & proptere a non videri debet inconueniens, vt vna per alteram æſtimetur, & vna ab altera, & augmentum, & decrementum recipiat.*

*piat*. Hoc ipſum figurare poſſemus caſu, quo Iulij, aut libræ Florentinæ, vel Regalia Hiſpaniarum ſub eodem charactere, & nomine in materia, & pretio minuerentur, ex quo neceſſe eſſet alias monetas maiores pluribus, quàm modo Iuliis, libris, & regalibus appretiare; ex quo quidem tantùm apparenter dicerentur auctæ, cùm in rei veritate illi plures Iulij, libræ, & regalia iſtis paucioribus æquiualerent.

20 Hic autem maximè obſeruandum; quòd ſi contingat, vt eiuſmodi moneta inferior intrinſecè diminuta, adhuc ſub eodem, vel etiam maiori pretio, ſeù extrinſeco valore percurrat; ſi quidem iuſta de cauſa, Principis auctoritate fiat, de augmento maioris ex ea proueniente, eadem omninò ratio erit, ac de vero extrinſeco augmento, vt plenè infrà *num.* 110. conſtabit. Si verò temerè, & impij alicuius falſarij dolo contrà legem Principis, & populi communem conſenſum fraudolenter ſubrepat, de augmento ex ea proueniente, eadem erit omninò ratio, ac de apparenti augmento, nec ab eo differet, niſi quòd erit enormius, & deteſtabilius, vtpotè ex monetæ falſatione proueniens, vt de facto contrà impios Hæreticos Caluiniſtas exaggerat *Layman. loc. cit.* referens *num.* 25. de thalero Imperiali, quod antè annum 1618. valebat in Germania duos florenos, poſteà eorum dolo, florenis contaminatis, *ad tres, quatuor ſex, octo, & decem* auctus fuit.

21 Moneta verò generica, & vniuerſalis, à certa, & determinata materia abſtracta, certum tantùm, & determinatum pretium importans, introducta eſt, vt etiam meminit *Theſ.* 1. *p. cit. num.* 24. *vt pretia omnia vno monetarum genere æſtimentur, alio autem, videlicèt reali ſoluantur. Cùm enim*, vt ait, *ab exteris, vt plurimum pecunia introducatur, alij vnius, alij alterius cuſa numiſmata important, & propterea difficile ſolutiones à debitoribus fieri queunt ſine peregrina pecunia, quæ non vnius etiam generis eſſe poteſt. Ideò neceſſe fuit certum monetæ genus adinuenire, quo contractus regulentur*. An autem hoc genus monetæ fuerit, necnè aliquando moneta realis, parùm refert ad finem, cuius gratia eſt adinuentum. Siquidem poteſt eſſe tale genus, quod nunquàm fuerit reale, ſicut de ſcuto auri marcharum, libris, ſolidis, & denarijs eiuſdem ad Cambiorum regulationem, & facilitatem à Genuenſibus excogitatis, ſæpe repetit *Scacc. in d. tract. de Camb.* Poteſt etiã tale genus eſſe, quod licèt non ſit, fuerit tamen aliquandò reale, ſicut de libris, argenteis, & florenis Sabaudiæ tradit idem *Theſ. p.* 1. *nu. cit. quamuis libræ argenteæ, prout etiam Floreni, aliquandò fuerint impreſſæ, nunc ampliùs non reperiuntur, & tamen omne cõmercium ſuper iſtis libris, & florenis regulatur.*

Alia

Alia etiam, & principalis cauſa eiuſmodi monetæ fuit, vt quantitatis in genere, ſeù communis æſtimationis, & pretij monetarum, & omnium rerum commutabilium, eſſet certa, & perpetua menſura; ad ſeruandam æqualitatem ſolutionum in quocunque caſu variationis monetarum; Sic etiam aduertit idem *Theſ. ibid.* vbi *Huius*, inquit, *hæc eſt ratio, quia imaginaria moneta certior habetur, quàm realis, & ſicut eſſentialis, veraquè moneta plerumque mutationem, & variationem in ſua æſtimatione ab initio conſtituta recipit, ità hæc imaginaria, inuariabilis, & immutabilis eſt*. Et 2. *p. nu.* 42. *Monetæ imaginaria fit ſtipulatio fauore contrahentium, nè variatio contingat, & vna, eademquè ſolutio ſemper fiat vniformis*; ſic etiam *in dec. granat.* de ducatis, & marauedinis, qui ſunt imaginarij in Hiſpania dicitur *d.* 14. *num.* 30. *& d.* 22. *nu.* 4. *cum Couarr. & Molin. In obligatione exprimi Marauedinos non pertinet, vt obligetur debitor ſoluere in eis, ſed vt ſciatur quantum debeatur*; proptèr quod etiàm, vt ibidem habetur, & antea notauit *Faber cap.* 3. *&* 13. huiuſmodi moneta generica *eſt numeralis magis, quàm realis, hoc eſt ad alias nummorum ſpecies numerandas comparata; qua vtì ſolemus in æſtimandis pecunijs, mercibuſque omnibus*. Eiuſmodi enim æſtimatio, ait *Surd. conſ.* 392. *nu.* 16. *cum Bald. Aret. Socin. Brun. Boer. Didac. Crauet. Gabr. Menoch. & alijs, fit ad tollendas dubitationes, quæ fiũt ob futuram mutationem monetæ, ſeu eius valoris*; Propter quod etiam idem *Theſ.* aſſerit *loc. cit. nu.* 25. Nulli in Inſtrumentis vtendum moneta imaginaria, *niſi dicamus imaginaria monetæ vſum proficuum eſſe, quia inuariabilem monetam deſignat ad tollendas augmenti, & diminutionis controuerſias; & ea, quæ antiquam formam habuerunt, non ſunt mutanda. l. minimè de legib.* 22

Duplex autem ex eodem *Theſ. Fab. ibid. Scacc.* §. 2. *gloſ.* 3. *num.* 68. *& gloſ.* 5. *cit. nu.* 184. aliiſq. *in dec. Granat. cit.* & ſenſu ipſo in varijs locis percipitur moneta generica, & vniuerſalis, ſeu numeralis. Alia, quæ ex certa moneta ærea, tanquàm priori menſura, vtì numerus vnitate deſignatur; in qua tamen moneta ærea, quia propter eius vilitatem, ſola ratio pretij publicè impoſiti abſque vlla conſideratione materiæ attenditur, vt videbimus; ideò moneta generica per eam deſignata certum tantùm pretium abſque vlla prorſus materia in ſua ratione importat, & propterea ex moneta cuiuſuis materiæ aureæ, argenteæ, vel æreæ, tàm pretioſioris, quàm vilioris indifferenter, & æqualiter publico vſu conflatur, ac in ſe eſt purè generica, & propriè imaginaria, atque omninò oppoſita monetæ reali, vt genus ſpeciei, ſeu 23

C vniuer-

vniuerſale particulari; Huiuſmodi eſt florenus Sabaudiæ, & Mediolani, de quo *DD. cum Bart. in l. Paul. ff. de ſolut. nu. 7. Brun. præſupp. 2. n. 11. Rener. cap. 2. nu. 7. Theſ. 2. par. caſ. 5. & Faber cap. 3. 13. & 21.* de quo in terminis procedit *Menoch. conſ.* 49. libra etiam, de qua in terminis *Surd. conſ.* 335. *vol.* 3. ducatus, de quo in Hiſpanijs, *Molin. diſp* 312. *nu.* 6. *& d.* 407. *nu.* 2. *& in dec. Granat. d.* 14 *nu.* 30. *& d.* 22. *nu.* 5. Huiuſmodi etiam eſſe ſcutum, & libram Genuæ, neminem latet, quod refert etiam *Scacc. gloſ. 3. nu. 68. Genuæ, & alibi eiuſmodi monetæ ſunt libra, quæ eſt in frequenti vſu ad emendum, & vendendum quaſuis merces, & non reperitur niſi virtualiter in 20. ſolidis in quauis moneta calculatis.* Cuius rationem præmittit *nu.* 56. *Quia libra ſignificamus, non pondus, ſed certum pretium, quod non reperitur in certa moneta excuſſa, quæ vocetur libra, ſed reperitur in valore aliarum monetarum, ideòque poteſt dici ficta, & imaginaria, conſtat ex 20. ſolidis, qui 20. ſolidi ſunt ducentum quadraginta denarij, quia quilibet ſolidus conficitur ex duodecim denarijs, vndè paria ſunt dicere libram, viginti ſolidos, ſeu ducentum quadraginta denarios. Et ita ſeruatur Genuæ, vbi habent ſolidos, & denarios, qui conficiunt libram, ſed libram monetatam de per ſe non habent.* Quòd autem ea ſignificamus non pondus, ſed certum pretium, præterquàm quòd ſatis ſuperq. ipſa experientia percipitur ex omnibus generibus monetarũ, quibus eam conficimus, ex eo etiam maximè conſtat, quòd in moneta ærea, per quam regulatur, non eſt conſideratio ponderis, aut materiæ, ſed pretij, vt plenè *nu.* 45. *& ſeqq.* conſtabit.

24 Alia verò moneta generica, & numeralis eſt, quæ ex certa moneta argentea deſignatur, in qua moneta argentea, quia propter eius excellentiam, non ſola ratio pretij publicè impoſiti attenditur, ſed etiam bonitatis, & ponderis materiæ conſideratio habetur; Ideò moneta generica, per eam deſignata, certum quidem pretium in ſua ratione importat, relatiuè tamen ad certam materiam prædictæ monetæ argenteæ, per quam deſignatur, & propterea, non ex cuiuſuis materię, moneta indifferenter, & æqualiter conflatur, ſed tantùm ex moneta æquiualentis materiæ, cùm eadem, per quam deſignatur. Vndè nec purè generica, aut propriè imaginaria dici valet, ſed magis, vt notant *Faber. cap.* 13. *& Layman nu.* 11. *Species ad modum generis incerta, & indeterminata* reſpectu omnis pecuniæ probæ, ac receptæ, hoc eſt æquiualentis materiæ cum ſpecie importata; ex cuius æſtimatione æſtimationem ſumit moneta generica; ac proindè non omninò opponitur monetæ reali, vt genus ſpeciei, vel vniuerſale particulari, ſed potiùs, vt

Digitized by Google

vt Indiuiduum vagum, indiuiduo determinato. Huiuſmodi eſſe refert *Faber eod. cap. libras ducales, & regias Sabaudiæ,* & in Germania *florenum argenteum Rhenanum, Layman nu. cit.* huiuſmodi etiam conſtat eſſe libras Florentiæ, ſcutum de decem Iulijs Romæ, & alibi alia, de quibus paſsim DD. Vtrumque autem id genus monetæ poſt *Fab.* complectitur *Scacc. gloſ. 3. cit. nu. 68.* ac optimè expenditur *in dec. Granat. dec. 22. nu.* 8. prout etiam clariùs conſtabit.

Moneta ergò generica prior, cùm nullam includat vllo modo determinatam materiam, nullam proindè poteſt ſuſcipere mutationem; cuius eſt radix materia, & ſic ſequitur quòd habitum eſt *nu.* 21. vt in quacunque materia publicè æſtimata eiuſdem eſſentialis rationis, & valoris perpetuò conficiatur, ac ſic omninò inuariabilis, & immutabilis reddatur. Ità communiter omnes præall. DD. Ex quibus. *Theſ. 1. p. cit. nu.* 24. *Sicut eſſentialis, veraque moneta plerumque mutationem, & variationem in ſua æſtimatione ab initio conſtituta recipit, ità hæc imaginaria, inuariabilis, & immutabilis eſt.* Ità etiam de floreno *Faber cap.* 13. *Florenorum ſpecies ſpecifica nulla eſt; ſed numeralis duntaxat, quæ ex duodecim ſolidis noſtris conficitur, proindè, ſiue creſcat ſolidorum valor intrinſecus, ſiue extrinſecus, idem ſemper florenus eſt.* Idem *Menoch. conſ.* 49. *Non poteſt dici moneta hæc mutata, vel in valore intrinſeco, nempè in ipſo metallo, cum non ſit florenus certus nummus, vel in valore extrinſeco, quia ità valet hodie groſſos duodecim, vt olim.* Idem de ducato, *Molin. diſp.* 278. *nu.* 7. & 312. *nu.* 6 quem eiuſdem perpetui valoris in Hiſpania ſeruari teſtatur, ſiue quoad valorem, ſiue quoad charactos, & pondus cæteræ monetæ varientur, quod etiam confirmatur *in dec. Granat. prox. cit.* Idem de libra. *Surd. conſ.* 335. *nu.* 8. & 11. Vbi hoc genus monetæ ex omni alia ſpecie monetarum conſtitui, & ab omni earum extrinſeca, & intrinſeca mutatione ſecerni liquidiſſimè oſtendit. Idemque de libra Genuæ in terminis ſupponit *Scacc. gloſ.* 5. *cit. nu.* 184. 25

Cuius ſi veritas clariùs ſit exponenda, ratio à priori eſt, quia teſte eod. *gloſ.* 3. *nu.* 54. hæc moneta ſignificat non pondus, ſed certum pretium menſuratum, & definitum per certum, & determinatum numerum denariorum; denarium autem neceſsè eſt eſſe omninò inuariabilem, tùm quia eſt minima monetarum, ex quo habet, quod non poſſit mutari reſpectu æſtimationis ſuæ, quia non habet aliquid, quo æſtimetur, vt cum *Bart. notant DD. in l. Paul. de ſolut. nu.* 8. ibi *Non dicitur deteriorata reſpectu æſtimationis ſuæ, quia non habet aliquid, quo æſtimetur*; tum etiam, quia vt lumine rationis inſtruimur, & traditur à 26



Digitized by Google

*Philoſ.*10.*Meth text*.3. neceſſe eſt in omni genere, in quo debeat eſſe ordo, dari aliquod primum, quod ſit minimum, indiuiſibile, & immobile, vt ſit menſura certiſſima, & regula cæterorum. Quemadmodùm in genere quantitatis, continua per numericam menſuratur, & numerus maior per minorem, quouſque deueniatur ad primam, & indiuiſibilem vnitatem, quæ eſt prima menſura numerorum. Sic pretia rerum menſurantur per pretia monetarum 5. *eth. cap*.5. *& l.* 1. *ff. de contrah. empt. l.* 3. *nummis ff. de in lit. Iur l.*42. *ſi ita ff. de fideiuſſ. & DD.* communiter; pretia verò monetarum non æſtimantur per pretia rerum; Idem *Bart. & DD. per l. ſi ita cit.* ibi, *Non vt æſtimatio rerum, quæ mercis numero habentur in pecunia numerata fieri poteſt, ità pecunia merce æſtimanda eſt*; ſed pretia monetarum maiorum æſtimantur per pretia minorũ, quouſque deueniatur ad primum aliquod, & indiuiſibile pretium, quale eſt pretium denarij, vel alterius minutiſſimi numiſmatis, quod ſit prima, & certiſſima menſura cæterorum, vt ad ſenſum apparere teſtantur *Bart. & DD. l. Paul. cit. nu* 7. ibi, *Pecunia auri, vel argenti groſſa æſtimatur per minutam, & hoc apparet ad ſenſum, minuta autẽ nunquàm æſtimatur per groſſiorem, non enim poſſum dicere, quod per florenum æſtimetur vnus nummus paruus, & per conſequens, nec duo, nec tres, & ſic de ſingulis in infinitum*. Quia tamen multitudo vnitatum collectiuè ſumpta adæquat quemcunque numerũ, ità multitudo minutiorum nummorum collectiuè ſumpta adæquat in valore quamcunque monetam maiorem; hoc ſubijcit, *Aceruus autem nummorum, vel vna ſumma nummorum, benè poſſet æſtimari per florenum, ſed ipſi nummi ſingulariter conſiderati non, & hoc patet ad ſenſum*, ſic etiam explicat *Theſ.* 2.*p. nu*.47. & melius ex *Theol. Med. C. de reb. per vſur. acquiſ. q*.7. *num*.5. *Numiſmati non eſt per res valor impoſitus, ſed per alia numiſmata, vt ducatus inſtitutus eſt, vt valeat trecenta ſeptuaginta quinque dipondia; regale argenteum inſtitutum eſt, vt valeat triginta quatuor dipondia, & ad hunc modum de alijs monetis maioribus dicendum eſt, quòd earum valor ſit per monetas minores taxatus, & determinatus*. Cùm autem non ſit procedere in infinitum, eſt deuenire ad primum, quod non ſit per aliud æſtimabile, & ſit menſura æſtimationis cæterorum Ità etiam *Doctiſſ. Epiſc. Abulen. in Gen*.23. *In qualibet terra, licet multa moneta ſint menſurabiles determinatè, vna tamen neceſſariò eſt danda indeterminata, ſcilicet minor moneta v.g. in Regno Caſtellæ vna dupla valet* 100. *morabitinis, & ſic determinatè menſuratur; quilibet morabitinus valet duas albas; qualibet alba valet tres coronatos; coronatus autem non habet aliquid, per quod menſuretur*,

*tur, ſed omnia reducuntur ad eum, quia ſecundum Philoſ.* 10. *Meth. in vnoquoque genere eſt dare vnum minimum, quod ſit metrum, ideſt menſura omnium aliorum, & ſic eſt dicendũ de quolibet genere monetæ in quacunque terra, quia ſemper ad minimum ſtat reſolutio, ſicut in ſpeculatiuis ſtat reſoluere omnes concluſiones ad prima principia, quæ irreſolubilia ſunt.*

Ità etiam de menſuris, & ponderibus antiquorũ refert *Agric. lib.* 2. 27
*Conſueto more menſuræ maiores reſoluendæ ſunt in minores, & lib.* 5. *Oboli diuidebantur in æreola, & æreola in minutias, quæ indiuiſa manebant*; Sic etiã ſecundùm Ethimologiam *Albert. Mag.* 5. *ſuorũ Eth. c.* 10. *Numiſma dicitur à mono Græco, quod eſt menſura per numerum*; *& librarum appellatio, vt notat Faber. de mo. cap.* 8. *Nummi ſpeciem conſtituit, quæ numerica eſt, aut, vt loquuntur, numeralis potiùs, quàm ſpecifica*, vel etiam ſecundùm *Brun. pr. ſupp.* 2. *nu.* 10. *collectiua*. Sic *in dec. Granat. d.* 14. *nu.* 30. *cum Molin. & Couarr. Marauedinus, non tam nummus cenſetur, quàm nummorum numerus, & d.* 22. *nu.* 5. *Marauedinus, non tàm eſt nũmus, quàm numerus, quo nummi æſtimantur*, & denarius comparatur *vnitati*, quæ eſt principium nũmeri, vt *not. Lauden. de mo. nu.* 20. *Vnum enim menſura omnium* 10. *Meth. tex.* 4. Proindè ſicut omnis quantitas, tàm continua, quàm diſcreta, per vnitatem, vt per primum ſimpliciter menſuratur, & per eius additionem, aut ſubtractionem variatur, & ſola vnitas immenſurabilis eſt, & inuariabilis; Ità proportionaliter omnis moneta cuiuſcunque quantitatis, ſiuè realis, quæ comparatur continuæ, ſiue imaginaria, quæ comparatur diſcretæ, per denarium, vel alium minutiſſimum numiſma in pretio menſuratur, & per eius additionem, aut ſubtractionem variatur; ſolus denarius remanet immenſurabilis, & inuariabilis, non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, vt de omni prima menſura in genere dicitur 10. *Meth. tex.* 3, & in ſpecie de nummo 5. *Eth. cap.* 5: *Vnum vtique oportet eſſe, hoc autem ex ſuppoſitione*, quod maximè denario conuenit, non ſolùm formaliter, ideſt in ratione pretij, cum ſit minimum in tali genere, ſed etiam materialiter, ideſt in ratione metalli; tum quia in materia quoque eſt adeò minimum in noſtra Republica, vt penè ſit imperceptibile, quod in menſura requiritur. 10. *Meth. cit. à quo primò ſecundùm ſenſum non contingit auferre, hoc omnes metrum faciunt*; tùm etiam, quia eſt in materia viliſſima, ſcilicet ære, quod prò nihilo cònſideratur in genere pretij, ſed totam poteſtatem, & æſtimationem habet auctoritate publica, vt plenè oſtendimus *nu.* 45 & ſenſu etiam patet, quia alicubi minus in materia, maius eſt in pretio, & alibi è conuersò; vt notum eſt de quadrante Romano, quod duplo excedat

in

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

in materia quadrantem Etruriæ, à quo tamen adeò exceditur in pretio, vt 50. Romani requirantur ad æquandam æſtimationem Iulij, ad quam eandem æquandam 40. Etruriæ ſufficiunt; quinimmò vbi 40. iſtorum, licèt inferiorum Iulio æquiualent, nihil prorſus æſtimantur 50. illorum licet meliorum, quod eſſe non poſſet, niſi verũ eſſet, quòd in huiuſmodi nummo nulla ſit materiæ conſideratio, vt benè notat etiam *Molin.diſp.107.nu.7.Aes in ratione moneta regulariter eſt diuerſum in diuerſis Regionibus, & quod valet in vno loco, in reliquis non valet; in ratione verò aris ferè nihil æſtimatur*. Quarè denarius, vel alius huiuſmodi nummus, licet ſit in materia deſignatus magis, quàm conſtitutus, perindè ſe habet, ac à materia ſecretus, vt vnitas formalis, & primus gradus pretij computabilis in quacunque materia in genere monetæ.

28 Hoc autem neceſſarium fuit, *vt 5.eth.* traditur, quia communicatio inter homines ſine permutatione, & permutatio, ſine pretij adæquatione eſſe non poterat; pretij autem adæquatio in tanta rerum inæqualitate impoſſibilis erat, niſi vnum vice omnium communi conuentione ſubſtitueretur, cuius publica, & perpetua poteſtas omnia ad æqualitatem commenſuraret, & tàm pro præſentibus, quàm pro futuris neceſſitatibus difficultati permutationum ſubueniret; tale eſt numiſma, vt benè ibi exponitur; *Propter commutationem neceſſitatis numiſma factum eſt ſecundùm compoſitionem, & propterea hoc nomen habet numiſma, quod non natura conſtat, ſed lege, hoc enim omnia facit commenſurata*; Quia verò numiſmatum quoque pretioſa materia conſtantium, quorum perpetua poteſtas eſſe deberet, pro materiæ tamen qualitate, & locorum, & temporum varietate, eadem, vt cæterarum rerum futura erat inæqualitatis conditio, vt benè ibid. *Patitur quidem, & hoc idẽ; non enim ſemper æquale poteſt*; ideſt, vt commentatur *Albert. aliquandò tranſcendit, & plus valet, poſteriùs minus valet, vel fortè nullius valoris efficitur*, & latiſſimè oſtenditur ab omnibus *in tract. de Camb.* ac ſenſu ipſo vbiq. percipitur; neceſſe etiã fuit numiſmata, vt & cætera omnia appretiare, & pretiorũ menſuram vnum aliquid conſtituere, quod in tali genere eſſet indiuiſibile, & immutabile, talem enim oportet eſſe primam menſuram in quolibet genere 10.*Meth.cit. In omnibus autem his metrum, & principium vnum aliquid, & indiuiſibile*; quale in genere pretij eſt denarius, vel aliud minutiſſimum numiſma, quod, & forma, hoc eſt pretio indiuiſibile exiſtens, in tali quoque materia deſignatur, qua, pro minima quantitate, & naturali vilitate, nihili in hoc genere

habita,

habita, ità fit ſenſibile, quòd tamen nullius materiæ mutabilitatis legi ſubiaceat, & ſic certa, & perpetua menſura æqualitatis eſt in genere pretij, ſine qua humana ſocietas conſiſtere non poſſet; talis quippe prima menſura requiritur *tex. Meth. cit. Quare à quo primò ſecundùm ſenſum non contingit, hoc omnes metrum faciunt, & humidorum, & ſiccorum, & grauitatis, & magnitudinis, & tunc putant cognoſcere quantum, quandò cognoſcunt per hoc metrum*; ſic etiam ad æqualitatem rerum ſtatuendam in pondere, & magnitudine variæ menſuræ maiores, & minores, vſque ad vncias menſurales ſtatutæ ſunt, vt de *menſ. & pond. antiq.* peritiſſimè refert *Agric. lib. 1. Vnciæ menſurales cuique menſuræ fixæ ſemper, & immobiles permanent, quaſcunque res metiamur*; Sic enim conſtans, & perpetua ſeruatur æqualitas.

Propterea, quàm Deo diſpliceat, ſi ſublata ijs vnitate, committatur difformitas *Prou. 20. cap.* ſcribitur. *Pondus, & pondus, menſura, & menſura, vtrumque abominabile eſt apud Deum, & cap. 11. ſtatera doloſa abominatio eſt apud Deum*, ideſt, *Deo odibilis, cum ſit directè contra legem naturalem, atque diuinam, & contra charitatem, & æquitatem. Charenſ. ibidem*; ſi autem menſurarum in pondere, & mole, vt perpetua ſeruetur æqualitas, ſic Deo odibilis difformitas; profectò menſurarum in pretio, quod eſt æqualitas æqualitatum, quo omnia, tàm æqualia, quàm inæqualia in pondere, & mole, communi, & formali æqualitate in commutatione adæquantur, ſumma requiritur vnitas; *Propter hoc enim oportet omnia appretiari, ſic enim erit ſemper commutatio. 5. eth. cit.* ſumma verò vnitas eſt, quæ inuenitur in numero, quæ proinde prima eſt omnium menſura, vt *tex. meth. cit. Metrum eſt, quo primò quantitas cognoſcitur; cognoſcitur verò, aut vno, aut numero; Numerus autem omnis vno, quarè omnis quantitas cognoſcitur in quantum quantitas vno*; Qui modus menſuræ, cùm ſit inuariabilis eſt etiam certiſſimus, eumque in quantum poſſunt omnes alij modi imitantur, *vt eodem tex. Vbique namque metrum vnum aliquid quærunt, & indiuiſibile, hoc autem ſimpliciter, aut quali, aut quanto; Vbicunque igitur videtur non eſſe auferre, aut addere, hoc eſt certum metrum, quapropter numerus certiſſimum, vnitatem enim ponunt omninò indiuiſibilem, in alijs verò imitantur tale.* 29

Ob quam etiam rationem Deus legem ponens menſuris. *Leuit. 19. Nolite facere iniquum aliquid in Iudicio, in regula, in pondere, in menſura*, vt notat doctiſſimè *Abulen.* rectitudinem præcipit menſuris quantitatis continuæ, non autem diſcretæ, ponendo regulam ſpecialiter reſpectu 30

ſpectu magnitudinum, pondus reſpectu grauium, menſuram reſpectu ſiccorum, & humidorum; Et cauſam exponens, *Quantitatum*, inquit, *menſurandarum alia eſt continua, alia eſt diſcreta, quantitatum diſcretarum menſura eſt ipſe numerus, de hoc non ponitur hic præceptum, ſicut de regulis, menſuris, & ponderibus; cuius cauſa eſt, quia Deus dat legem habendam eſſe rectitudinem menſurarum in illis menſuris, quæ malitia humana permutari poſſunt, ſicut etiam de regula, & pondere, & menſura, quæ maioritatem, & minoritatem recipere queunt. In numero verò non eſt ſic, quia numerus eſt conſtitutus ſecundùm naturam, & permanet immutabilis, ſicut natura ipſa, nunquam factus maior, nec minor. Menſuræ autem ſatis mutantur, & pondera, & regulæ, quia iſta voluntate humana conſiſtunt, quæ mutabilis eſt; potiſſimè, quoniam iſta conſiſtunt in quantitate continua, cui addi poteſt, & ſubtrahi; Numero autem non poteſt addi, & ſubtrahi, quia conſiſtit in indiuiſibili, vnde ſi aliquid addatur, aut ſubtrahatur, iam non manet eadem ſpecies numeri, ideò non oportuit legem poni de mēſura, quæ eſt numerus*, Vtramque quantitatem in moneta breuiter, & eleganter exprimit cum *Sot. Filiuc. to. 2. moral. quæſt. tract. 34. p. 2. cap. 3. nu. 55. Pecunia ſumi poteſt tum materialiter, habita ratione ad materiam, ex qua conſtat, vt ſi ſit ærea, argentea, vel aurea, quo pacto nummus argenteus ſpecie differt ab aureo; tum formaliter habito reſpectu ad valorem, qua ratione idem eſt in ipſa valor, ſpecies, natura, & quantitas, omnia enim hæc conſiſtunt in numero quodam indiuiſibili, quo variato non eſt ampliùs eadem ſpecies, nec quantitas, nec valor, vt v.g. Iulius conſtat 10. obolis, quo variato per additionem, aut detractionem non eſt ampliùs eadem ſpecies, nec valor Iulij*. Indè eſt, quòd mutatio valoris, ſi contingat, mox ab omnibus facillimè percipitur, eo quòd numero menſuretur; è conuersò autem eſt de mutatione materiæ, in qua quiſque facillimè decipitur, nec, niſi induſtriè, & temporis interuallo deprehenditur, quia pondere menſuratur.

31 Conſtat igitur, quàm congruum, & neceſſarium fuerit ad ciuilem communicationem, præter menſuras materiales in pondere, & mole, aliam formalem menſuram in numero ſtatuere, quæ vt menſura menſurarum, certa, & immobilis manens, omnia in pondere, & mole, licèt æqualia, pro temporum tamen, & locorum, & infinitorum accidentium varietate ad vſum commutationis maximè inæqualia, ità in pretio æquaret, vt ſemper euidens eſſet æqualitas, & Ius cuiuſque integrum, illibatumq. conſtaret. Huiuſmodi menſura per numerum, vt ſupra oſtenſum eſt, eſt libra, & denarius Genuæ, ducatus, & marauedinus Hiſpa-

Hiſpaniæ, florenus, & quadrans, Sabaudiæ, & alibi alia, vt notat *Scacc. gloſ.3.cit.nu.*68. Monetæ enim, vt viſum eſt, ſunt menſuræ rerum, libra eſt menſura monetarum maiorum, libræ autem, & omnium omninò monetarum, ſiuè maiorum, ſiuè minorum prima, & immenſurabilis menſura, veluti numerorum vnitas, eſt denarius, quo propterea certis vicibus repetito, quantùmuis cæteræ monetæ varientur, quodlibet pretium in eſſe conſtituitur, & à quolibet alio perfectiſſimè diſtinguitur; quia quemadmodum vnitate decies repetita ſemper fit derium, ſiuè ſumantur hæ vnitates, in quinque binarijs, ſiuè in tribus binarijs, & vno quaternario, ſiue in duobus quaternarijs, & vno binario, ſiuè alio quolibet modo, quia omnes prædicti numeri æquiualent, nec plus, nec minus vnquam faciunt denario; Sic 240. denarij in quauis moneta currente calculati, ſemper conficiunt libram eiuſdem rationis, & valoris, cuiuſcunque ſit ſpeciei, & formæ moneta numerata, aurea, argentea, vel ærea, minuta, vel groſſa, prætioſioris, aut viloris materiæ, & pretij, modò in tanta collectione ſumatur, quæ nec plus, nec minus efficiat 240. denarijs, paria enim ſunt dicere libram, & 240. denarios, vt meliùs experientia fit manifeſtum.

32 Conſtat igitur à primo ad vltimum de rectitudine antiqui vſus Prouinciarum, de veritate communis ſententię DD. quoad eſſentiam, & valorem monetæ genericæ, vt videlicèt, non tàm ſit nummus, quàm numerus, quo nummi æſtimantur, & ſit inuariabilis, & immutabilis ſecundùm finem ſuæ inſtitutionis, ad tollendas augmenti, & diminutionis controuerſias, vt in ea fiat ſtipulatio fauore contrahentium, nè variatio contingat, & vna eademque ſolutio ſemper fiat vniformis, ac perpetuò ſciatur quantum cuique debetur.

33 Hinc ratio, vt not. *Rener.cap.1.nu.15.tex. in l.1.ff. de condict. tritic.* vbi habetur, quòd pecunia numerata ſemper petitur *actione ſi cert petatur*, & quòd *act. triticaria*, qua aliæ res omnes, ſiuè pondere, ſiuè menſura cõnſtet, ſiuè ſolidæ, ſiuè liquidæ ſint, petuntur, peti nequeat, quia *ſemper eſt certa nummorum æſtimatio*. Hinc Iuris etiam, quod Iuramentum in litem denegatur, locumque habere nequeat, vbi pecunia in obligationem eſt deducta, *eſt enim certa nummorum æſtimatio, in ijſdemq. ob nimiam ſimilitudinem non cadit affectio*, vt decidit *Vulpian. l.nummis 3.ff.de in lit.Iur.Rener.eod.loc.* & pleniùs expenditur in *deciſ. Granat. d.12.nu.19.* vbi cum *Donell. lib.26. Com. cap. 9. Ideò Iuramentum affectionis locum non habet circa pecuniam, quia ſemper procedit in*

D *rebus,*

Digitized by Google

*rebus, in quibus cadit; pecunia verò non conſideratur in iure reſpectu materiæ, & metalli, ſed generaliter ex valore, qui certus, & vniuerſalis eſt, nec magis ad hæc, quàm ad alia corpora reſtringi poteſt.* Hinc rursùs, quod dici ſolet pecuniam debitam, neque perire poſſe, neque fieri deteriorem *l. Incendium* 11. *C. ſi cert. pet. Id enim*, inquit, *Faber de mo. cap.* 2. *verè dicitur de pecunia, quæ debetur in genere, ideſt de quantitate ipſius pecuniæ, ſed non de pecunia, quæ in certa ſpecie debetur, hæc ſiquidem, & perire poteſt, & non eſſe in rerum natura l. ſi ſeruus* 108. §. *qui quinque in arca de legat.* 1 *cum ſimilibus, ſimiliq. modo poteſt, & deterior fieri.* Sic etiam *in dec. granat. cit.* vbi, *Genus autem non perit, ſed ſemper obligationem ſuſtinet*; cuius rationem tradit elegantiſſimè *Bald. ad d. l* 3. *num.* 3. *Scis tu quia genera non pereunt? quia non ſuſcipiunt paſſionem, cum non ſint quid materiale, ſed quid intellectuale.* Hinc tandem in praxi ſecundùm hanc regulam debita omnia quantitatis in genere, eodem ſemper modo ad rationem Marauedinorum in Regnis Hiſpaniarum in quacunque monetæ variatione communi conſenſu ſoluta fuiſſe, & ità ſepiùs Tribunalia iudicaſſe, conſtat ex pluribus *dec. Senat. Granat. à d.* 12. *ad* 25. vt fusè in ſequentibus monſtrabimus.

34 Verùm, quia non vbilibet, vt conſuetum eſt in Hiſpanijs, hæc moneta generica, & numeralis, ex prima menſura, ideſt minutiſſimo numiſmate, quia nimiùm multiplicatur, ſed ex aliqua moneta ærea maiori, & menſurabili, & ſic variabili, vt libra, non ex 240. denarijs, ſed ex 20. ſolidis ad breuiorem, & faciliorem calculum ſolet deſignari. Indè eſt, quòd ſi hæc moneta ærea, quam in certo numero dicit, in æſtimatione varietur, neceſſariò etiam ipſa moneta generica eſſentialiter diuerſificatur; & ſic, licèt impoſſibile ſit, eandem monetam genericam vllo modo alterari, ſicut, & numerum, non tamen impoſſibile eſt, vtì, nec numerum additione, vel ſubtractione alterius eſſentiæ, & rationis effici, ac ſub æquiuoco nomine in ſpecies diuerſas multiplicari. Quale eſſet ſi ſolidi, E.G. qui modo viginti, ſinguli de 12. denarijs conficiunt libram de 240. denarijs ad minorem valorem, puta decem denariorum pro ſingulo aliqua de cauſa reducerentur, quia tunc procùl dubio libram diuerſæ rationis 200. videlicet denariorum conficerent, vt optimè perpendit *Filiucc. pax. cit. & DD.* communiter in *tract. diu. & extr. vt apud Cenc. de Cenſ. par.* 2. *cap.* 2. *q.* 4. *art.* 4. *nu.* 16. vbi in terminis declarat libram & ſi non varietur in numero variari tamen in æſtimatione, & valore ſolidorum, quibus conſtituitur, quod etiam in ſpecie facti oſtendit *Rot. Rom. apud eum dec.* 220. *coram Penia*, de reductio-

ductione ſolidi, ſeù baiochi, de ſex quadrantibus ad quinque ex *Conſtitutione Gregorij III*. Idemque procedit, ſi extrinſeca diminutio ſolidi in æſtimatione, & valore ſimul ſit cum intrinſeca diminutione eiuſdem in materia, quod regulariter fit, vt omnes *in tract. diu.* obſeruant, ſimiliter enim variatur eſſentia libræ, quæ, vt dictum eſt, importat certam ſummam pretij in certo, & indiuiſibili numero denariorum conſtitutam, & calculabilem in quacunque, & cuiuſuis materiæ moneta. Quapropter etiam ſi in tali caſu diminutionis ſolidorum cæteræ monetæ in valore augeantur, ità vt pluribus ſolidis, aut libris, quàm anteà æſtimentur eadem omninò ratio erit, quæ ſuprà *nu.* 19. de augmento apparenti poſita eſt, quam optimè exprimit *Faber de mo. cap.* 1. *in fin.* ibi, *Quiſquis dicit ex monetarũ deterioratione augeri æſtimationem aurei malè loquitur, ſed dicendum eſt, augeri ſolidorum numerum, aut quod idem eſt minui ſolidorum æſtimationem, non ad alium finem, quàm vt eadem, quæ priùs erat aurei æſtimatio, nec aucta, nec diminuta conſeruetur extrinſecùs, ſicut, & intrinſecùs.* Huius autem variationis quantitatem facilè erit deprehendere, ſi eam ad primam menſuram commetiamur, ad quam proindè, quia vſu antiquo in Regnis Hiſpaniarum contractus regulantur, ab omni huius mutationis quæſtione perpetuò eximuntur, vt plenè videbimus *nu.* 111. *&* 114.

Item, quia, vt dictum eſt huiuſmodi moneta generica ad quamlibet monetæ materiam ſolet applicari, Indè quoque eſt, quòd ad aliquam certam materiam applicata, puta, ſi dicatur libra in caualotis, intelligitur libra per accidens variari ad variationem monetæ realis, cui per accidens applicatur, nec tantùm in valore extrinſeco, ſed etiam in intrinſeco, quem per ſe quidem reſpicit prædicta moneta realis, & per accidens; ac materialiter moneta generica illi applicata. Quod etiam communiter conſiderant DD. præſertim *in tract. diuerſ.* & in terminis *Scacc. gloſ.* 5. *nu.* 184. *&* 190. Quin etiam ipſammet monetam genericam euaneſcere, ſi ſpecies ad quam reſtringitur pereat, optimè expenditur in *dec. granat. d.* 22. *nu.* 8. Ex quo patet, quantùm diſtet moneta generica abſolutè concepta à ſe ipſa ad certam ſpeciem reſtricta, quantùm videlicet diſtat genus à ſpecie, quod maximè aduertendum eſt ad percipiendum ſenſum DD. ne aliàs turpis incurratur æquiuocationis fallacia, & latratus canis de ſidere concludatur, vt latiùs in ſequentibus conſtabit. 35

Eadem ratione moneta generica poſterior per certam ſpeciem argenteam communiter regulata totidem cenſetur ſubeſſe mutationi- 36

bus, quot ſubeſt ſpecies argentea , per quam regulatur ; ſiuè enim intrinſecè, ſiuè extrinſecè , vel vtroque modo iulius varietur , ijſdem modis conſequenter variatur, & ſcutum, cuius ijdem iulij partes integrales cenſentur. Ità vbique notant DD.& in terminis *Rot.Rom.coram Penia in vna Rom. & alia Caſenat. pecuniar.* ſuprà *num. 5. cit.* cuius quoque variationis quantitatem facilè erit experiri ex reg. Theſ. de qua infrà *nu.* 103.

37 Satis igitur ad præſens conſtat, qua ratione dicta DD. de moneta generica ſanè intelligantur, cum à diuerſis, quinimmò, &ab ijſdem modò immutabilis, & inuariabilis dicitur, modò etiam omni mutationi, & variationi earum monetarum ſubijcitur, ex quibus, vt quoddam totum ex partibus conflatur. Primum enim abſolutè verum eſt de moneta generica , per primam , & inuariabilem ſpeciem , hoc eſt minutiſſimum numiſma regulata . In hac enim propriè, nulla omninò, nec intrinſeca, nec extrinſeca variatio contingit, nec ratione ſui , quia in numero indiuiſibili conſiſtit, nec ratione numiſmatis , per quod regulatur, quia eſt in ſuo genere minimum, nec vſquam vnquam auditum eſt fuiſſe variatum ; quod etiam euidentiſſimo experimento habetur in marauedinis Hiſpaniarum, in quibus per infinitas intrinſecas, & extrinſecas mutationes monetarum ; omnis quantitas in genere intacta ſemper, & inuariata permanſit referente *Molin. diſp.* 214. 312. 400.*& ſeqq.* ac pleniùs confirmantibus *nou.dec.granat.vt infra.* Omnis verò alia moneta generica per æream, vel argenteam ſpeciem variabilem regulata , licèt ratione ſui ; quia in numero indiuiſibili conſiſtit , aliqualitèr immutabilis , & inuariabilis dicatur, quia tamen ſpecies monetæ, per quam regulatur eſt variabilis,ratione illius, in ipſa etiam moneta generica conſequentèr variatio contingit ; & quidem per ſe tantùm extrinſeca in ea, quæ per æream regulatur , quia , vt dictũ eſt & pleniùs adhuc dicemus *nu.* 45. in ærea moneta nulla cadit conſideratio materiæ,ſeù bonitatis intrinſecæ, ſed tantùm valoris,ſeù publicæ æſtimationis extrinſecæ ; vel etiam per accidens intrinſeca , ſi eadem moneta generica per æream regulata ſpeciali diſpoſitione contrahentium ad certam ſpeciem argenteam , vel auream, eiuſque bonitatem intrinſecam appareat reſtricta , vt dictum eſt de libra cùm abſolutè cõcipitur, quia ſic nullam includit certam materiam , aut bonitatem intrinſecam; ſecùs autem cùm ad caualotos , aliamuè ſimilem ſpeciem reſtringitur, quia ſic eiuſmodi ſpeciei bonitatem , & intrinſecam, & extrinſecam per accidens includit. In ea verò moneta generica, quæ

ſua

Digitized by Google

ſua inſtitutione per ſpeciem argenteam regulatur, omnis, tàm intrinſeca, quàm extrinſeca variatio per ſe contingit, ſimiliter omninò, ac in ſpecie argentea, qua primò, & per ſe regulatur, vt dictum eſt de ſcuto decem Iuliorum Romæ, quod ad quamcunque Iulij variationem intelligitur ſimiliter variatum: Hæc pro nunc ſufficit indicaſſe; eadem in terminis ſequenti Art. latiſſimè conſtabunt.

## Mutatio monetæ intrinſeca ſecluditur.

EX his autèm omnibus mutationibus, tàm augmentis, quàm decrementis; de primo videlicèt intrinſeco manifeſtum eſt minimè in vſu eſſe, nec decrementum, niſi ex iuſta cauſa à quouis Principe in vſu poni poſſe; vt enim indicat *D. Tho. lib. 2. de regim. Princ. cap. 3. Moderatus debet eſſe Princeps quicunque in mutando, ſiue diminuēdo pondus, vel metallum numiſmatis, quia hoc cadit in detrimentum populi, cùm ſit rerum menſura; vndè tantùm eſt mutare numiſma, quantùm ſtateram, ſiuè quodcunque pondus, hoc autèm quomodò Deo diſpliceat Prou. 20. cap. ſcribitur. Pondus,* inquit, *& pondus, ſtatera, & ſtatera, vtrumque abominabile eſt apud Deum, de quo, & grauiter Rex Aragonum reprahenditur ab Innocentio* Papa, *quòd numiſma mutauerat in populi detrimentum; propter quod, & filium obligantem ſe per iuramentum dictam ſeruare monetam à dicto abſoluit iuramento, eidem mandans, vt ipſam ad priſtinum ſtatum reformaret.* Sic in *cap. Quantò*, vbi communiter *DD. de Iur. iur.*; item in *l. quicunque ff. ad l. Cornel. de falſ. l. 1. C. de vet. num. pot. lib. 11.*, & ſic omnes vno ore in *tract. diu.*, *& extra.* Plura autem, & maxima incommoda, quæ talē mutationem repræhenſibilem reddunt, enumerat præ alijs *Layman loc. cit. num. 7. & 8.* & diſertè ante eum *Nicol. Oreſmus. Lexouien. Epiſc. Caroli V. Francorum Regis Præceptor in lib. de mut. mo. to. 14. Bibl. SS. PP.* vbi poſt multa *cap. 12* infert, *Superſcriptio in Numiſmate per Principem ponitur ad deſignandam certitudinem ponderis, & materiæ qualitatem; igitùr ſi non correſponderet veritas in pondere, patet ſtatim, quòd eſſet falſitas viliſſima, & deceptio fraudolenta. De hoc enìm Caſſiod. ait. lib. var. Quid tàm nefarium, quàm vt praſcriptionibus liceat etiàm ipſa certiſſima qualitate peccare, vtque proprium datum, hoc per fraudes noſcatur eſſe corruptum.* Et *cap. 13.* exempta mutationis rationabili cauſa; Subdit, *Quoniam impreſſio moneta eſt ſignum veritatis materiæ, hanc igitùr mutare, eſt monetam falſificare; propter quòd in quibuſdam nummis* 38

mis

*mis inſcribitur nomen Dei, vel alicuius Sancti, & ſignum Crucis, quod fuit inuentum, & antiquitus inſtitutum in teſtimonium veritatis moneta in materia, & pondere; Nàm ſecundùm Hug. Moneta dicitur à moneo, quia monet ne fraus in metallo, vel pondere fiat.*

39 Quod quidem pondus, & metallum ſic commenſurandum cenſetur, non quòd Principis poteſtati non ſubſit variè pro iuſſu monetarum genera cudere, aut quòd nummus ſuaptè natura, talem materiam, & pondus neceſſariò requirat; ſed ex hypotheſi, quatenùs aureus eſſe debet, nihil argenti, quatenus argenteus, nihil æris admixtum habeat; ſic etiàm mixtum non fiat mixtiùs, nec quincunx, triunx, nè mixtum pro puro, aùt mancum pro iuſto exponendo, ſemel præſcriptum, & publicè receptum pondus, & materia ſub eadem forma corrumpatur. Quod quidem de aurea, & argentea, æream eximendo, intelligendum eſt, in quibus publica æſtimatio fundatur in pondere, & bonitate materiæ, ità quòd vtrunque ſubſtantialiter requiratur; ſicut forma, & materia ad compoſitum, vt neque informis argenti materia nummi rationem habeat, neque nummus verus, ac legitimus cenſeri poſſit, cui ſubiecta materia non reſpondeat in ordine ad commutationes, & commercia peragenda, non in vna tantùm regione, ſed vbique terrarum; Ità *Layman. cit. nu. 4. Seacc. ead. gloſ. à num.* 812. *ad* 110. & latè, dilucidèq. in *dec. granat. d.* 19. *vbi num.* 28. *Principis poteſtas non limitatur, nè poſſit ex quocunque metallo monetam cudere, vt pro ſua auctoritate valorem ſtatuat, & ità magis ex ea æſtimatio procedat, quàm ex materia; licèt enìm Ius Gentium apud omnes homines pecunia vſum ſuaderet, ad commodiorem contractuum expeditionem; tamen forma, & materia pecunia Iure Ciuili propria, & ſemper dependens eſt ab auctoritate, & poteſtate eorum, quibus cudendi eſt facultas.* Ad hoc autem ſubditur *num.* 29. *Congruit tamèn optima regendi Arti, eam conſtare valore intrinſeco, & pretioſis metallis, vt apud omnes etiàm extraneos æſtimetur, & recipiatur, & num.* 38. *Commercia quidèm pecunia alit, & ſuſtineri non aliter poterunt, niſi apud omnes moneta æſtimabilis ſit, & certi valoris, & perpetui, vt Caſſiod. ait lib. 7. var.* Propter quod ex communi DD. concluditur *num.* 42. Principem grauiſſimè peccare, ſi abſque iuſta cauſa mutet monetam, ac veris hiſtorijs *num.* 50. innumeræ recenſentur Populorum, & Principum calamitates indè exortæ. Vndè etiam à Valentiniano, & Valente Impp. conſtitui neceſſe fuit, vt ſolidos ipſos aureos, veterum Principum veneratione formatos, ità ſuſcipi abſque refra-

refragatione omninò oporteret, ſi modò, & debiti ponderis eſſent, & ſpeciei probatæ. *l. 1. C. de vet. num. pot. lib. 11.* Hæc ibi, & *in tract. diu.* ampliora videantur.

De tertio etiam videlicèt intrinſeco, & extrinſeco, quamuìs acci- 40 diſſe legantur, augmentum quidem in *cap. cùm Canon.* Ibi, *de meliori moneta*, decrementum vero *in cap. olim*, ibi, *monetæ declinationem. de Cenſ.* Iàm tamen manifeſtum eſt ab omnibus ferè Principibus rectiùs euitari, cùm eædem ſemper eiuſdem ponderis, & bonitatis monetæ aureæ, & argenteæ excudi videantur, vel vbi data oportunitate materias diminuunt; ſimul etiàm ipſi, vel alij pretia ſubmittunt, & characteres, vel nomina mutant, vel etiam ſi opus ſit eas totaliter reprobant, vt omnem auferant æquiuocationem monetarum, & debitum in Commutatiua Iuſtitia ordinem communioni hominum ſeruent. Hùc ſpectat generalis illa, & notoria declaratio ſcutorum auri 8. *cacarum* à S. Pontifice Clemente VIII. ordinata anno 1596. proùt etiam refert *Rot. Rom. coràm Card. Lancellotto apud Cenc. dec.* 217.

De illo autem falſo, & apparenti augmento, vel potiùs iniquo de- 41 cremento, ſi clanculùm ſubrepat, quot fraudes, & dolos contineat inclamat præ cæteris *Layman. lo. cit.* Vbi Caluiniſtarum prauitatem, egregia in omni genere falſarij, ſuis temporibus in ſua loca irrepſiſſe conqueritur *num. 9. & 24.* ibi. *Quemadmodùm in hoc mundo alia paulatìm deficiunt, ità & hominum fidelitas, & mutua Charitas, quamobrem inſtigante cupiditate paſsìm iuſto deteriores nummi cudi, & introduci ſolent, quorum conſideratione maiores, ac meliores monetæ augentur extrinſeco valore*, de hac facti ſpecie pleniùs conſtabit *num.* 108. Huiuſmodi nefaria deteſtantur Catholici Principes, noſquè indemnes aureo regimine, ſummaquè prouidentiæ, iuſtitiæquè integritate ſeruat Sereniſſ. Senatus, omnes monetas aureas, & argenteas inuiolato ordine in eodem ſtatu præſeruans. Quod in ſuo quoque Regno optimi Principes omnes æmulantur, non tantùm ad *l. vlt. C. de vet. num. pot. Aeternales vultus inuiolatos ſeruantes*, verùm etiam proprias regiones exterorum fraudibus infenſas tuentes, & ſi quæ latenter inuaſerint, confeſtim depræhenſas relegantes, aut metallo valorem debita proportione commetientes.

Ita ſemper in optima quaque Republica vigilantiſſimè obſeruatum 42 plura teſtantur; Primùm enim apud antiquos Romanos fuiſſe Officiales, quibus examinare iniunctum, non ſolùm de cudenda moneta, an proba eſſet, ſed etiam de ſoluenda, ſi adulterina, aut vitioſa foret,

eoſquè

Digitized by Google

eoſquè per ſingulas Ciuitates conſtitutos, latinè, *Libripendes*, & græce, *Zigoſtates*, vocatos habetur in *l. 2. C. de pondere. in Codice Theodoſiano, & in l. 1. C. de Frum. Vrbis Alex. lib. 11. Briſſon. verſ. Zigoſtates*; Quin etiam legem latam à Mario Gratidiano, vt Ars probandi Numiſmatis Romæ inſtitueretur, eamquè adeò iucundam Plebi fuiſſe, vt illi vicatim ſtatuas dicarint. *Plin. lib. 33. cap. 9.* Ac Alexandrum Seuerum reprobaſſe monetam cuſam ab Hellio Gauallo, & iuſto valori adæquaſſe *Lamprid.* Romæ quoque deprauatam monetam non imminutam ſolùm, ſed etiam ſublatam. *Sceuola in l. Creditor ff. de ſolut.* ibi, *Mox pecunia, quà Reſpublica vtebatur, quaſi ærosa iuſſu Præſidis ſublata eſt*; *& in l. 2. C. de vet. num. pot.* Impp. Valentinianum, & Valentem de imminutione ſolidorum egiſſe, de eorumquè mutatione pragmaticam Sanctionem Iuſtinianum feciſſe *Cuiacc. in l. 1. C. eod.* Summum etiàm Pont. Innoc. III. Petro Aragonum Regi mandaſſe, vt monetam à Patre ſuo diminutam, & minoris ponderis effectam ad legitimum pondus reduceret eſt *text. in cap. Quanto de Iur. iur.* Cui mandato pium Regem, non ſolùm paruiſſe, ſed etiam lege lata Valentiæ anno 1265. certam, perpetuam, & immutabilem formam, pondus, & puritatem monetæ diffiniuiſſe, refert *Petrus Belluga in Specul. Princ. rubr. 36. de mut. mo.* Similiter de Floreno aureo, à flore Lilij impreſſo, & Florentiæ Vrbe, vbi primò cuſus fuit ſic appellato, cùm ad alias etiam Prouincias emanaſſet, & contaminari cæpiſſet Io. 22. anathemate prohibuiſſe, nè de cætero niſi Florentiæ cuderetur: refert *Io. Villanus. antiquus Florent. hiſt. lib. 9. cap. 279.*, Et Clementē VIII. in declaratione ſcutorum auri 8. *cacarum*, de ſcutis reliquarum cacarum ordinaſſe, vt ſint quidem currentia, ſed minoris æſtimationis dictorum 8. *cacarum*, ad rationem duorum ſcutorum cum dimidio pro quolibet centenario, refert eadem *Rot. cit.* Denique generaliter in omnibus Regnis idem ſemper ſeruatum fuiſſe, plenè recenſetur *in nou. deciſ. granat. d. 12.* vbi *num. 63. Monetam iuſto materiæ valori, & metalli æſtimationi adæquari in his Regnis etiam antiquitùs factum, & ſimiliter cum moneta qualitas deterior reddita id fecerunt Aragones, Valentini, Cathalani, Luſitani, Mediolanenſes, Neapolitani, Galli, Veneti, Angli, & Germani, & omnia Regna, quæ politica diſciplina excellunt.* Idemquè anno 1622. in extinctione illius Caluiniſticæ falſationis, plurium Principum Imperij conſenſu actum fuiſſe confirmat *Layman. num. 26.* Quod nos etiam annis ſuperioribus vidimus in vnanimi illa, & generali Iuliorum Auenionis reprobatione. Omnes

quippè

quippè bono communi prudenter inuigilant, nec vllum pro poſſe in id ſequi patiuntur inconueniens, vt dignè ex *Senec. de Clement. lib. 1. cap. 4. Tutorum publici ſtatus*, inſigni nomine donentur.

Idtantùm, vt conſtat de moneta viliſſima, ſcilicet ærea ſuperiùs exempta non curant, cùm nihil interſit, eam in infimo naturalis vilitatis conſtitutam qualitercunque vàriare; ac proindè in ſtatutis, contrà cudentes appellatione monetæ non veniat minima *ex dec. granat.* 12. *num.* 67. Quamuìs enim ex eius pretio, vt dictum eſt *num.* 26. & 27. pretium monetæ maioris deſignetur, & conſequenter ad eius extrinſecum augmentum poſſit etiam moneta maior extrinſecè augeri, vti de facto contigiſſe conſtat in Regnis Hiſpaniarum ab anno 1602. *ex ead. dec.* 12. *nu.* 48. & *ſeqq.* non tamen ex eius, ſicut ex minutæ argenteæ diminutione poteſt pernicioſum illud, & apparens augmentum in moneta maiori cauſari. Quod quidem ſatis, ſuperquè monſtratur in iiſdem *dec. granat. vbi d.* 13. *num.* 1. pro certiſſimo ſupponitur in huiuſmodi moneta locum non habere DD. quæſtiones de tali augmento, & diminutione, quia in moneta ærea nulla inſit conſideratio metalli, ſed publici valoris; Ideoquè communem DD. ſententiam de eodem augmento in aureis, & argenteis procedere, in quibus cum valore extrinſeco materiæ æſtimatio intrinſeca conſideratur *num.* 26. & *d.* 17. *num.* 20. & alibi paſsim. Quod etiam expreſsè fatentur omnes ſupra allegati DD. vbicunque de hoc augmento, & diminutione loquuntur, cauſam totam argenteæ contaminationi tribuentes, vt in *Tract. diu. Brun. præſupp.* 1. *num.* 9. 10. & 11. *decl.* 2. *num.* 6. *decl.* 17. *num.* 2. & *limit.* 8. *num.* 5. *Aym. num.* 6. *Rener. cap.* 2. *num.* 33. & 34. *Sola caſ.* 7. eamquè experitur *Theſ.* 1. *p. num.* 29. *Huius variationis experimentum eſſe poterit capiendo argenti tantam quantitatem, quæ conſtituat ducatonum, & ex altera parte ponantur* 20. *albi ſolidorum. qui hodie conſtituere ſolent Ducatonum, ſi illi ſolidi non faciant tantam argenti maſſam, quanta eſt in Ducatono, dicetur moneta deteriorata*, cuius cauſam prodit *Faber cap.* 1. *Permixtio metallorum illa eſt, quæ fraudis, & malitiæ non minùs, quàm nummi materiam præbere videatur, id præcipuè curantibus monetarijs, vt quantum auri, & argenti ſuffurantur, tantundèm permixta vilioris materiæ pondere ſuppleatur*. Qua mixtione remota, omnes iſtæ augmenti, ac diminutionis controuerſiæ remouerentur, vt idem *Theſ. fatetur* 1. *p. num.* 10. & *alij lo. cit.* Sic etiam de mente DD. intelligere oportet, vbicunque de hac deterioratione loquuntur, cum tamen, & ij ſimet eã 43

E vbique

Digitized by Google

vbique præſeferant, iiquè potiſſimè, quos in præiacto Conſilio noſtri Conſultores inducunt. *Purpurat. conſ.* 522, *num.* 33. *&* 35. *Surd. conſ.* 368. 392. *&* 454. *Theſ. ſæpe loc. cit.* ſic etiam in terminis figurat *Scacc. gloſ.* 3. *cit. num.* 72. *& gloſ.* 5. *num.* 190. Et in praxi *Layman. lo. cit.* vt latiùs infrà *nu.* 108. Propter quod etiam iudicat *Brun. præſupp.* 1. *num.* 11. ad euitandas einſmodi fraudes tutius eſſe facere cudi pecuniam ex puro auro, vel ex argento ſaltem in pecunia excedente valorem duorum ſolidorum, prout excogitatum fuit tempore Sum. Pont. Iulij II. dum ita obſeruauit ad ſuaſionem Reuerendiſſ. D. Henrici Bruni Archiep. Tarentini, & Apoſt. Sedis Theſaurarij; in idemquè iudicium concurrunt *Theſ. Faber.*, *& Aly loc. cit.*

44 Idem prætereà generali ratione conuincitur; quia cùm aurum, argentum, & æs non ſint idem, ſed diuerſum genus materiæ monetarum, ſimulquè habentia diuerſam intrinſecam bonitatem, & pretij capacitatem, non poteſt variatio vnius eſſe per ſe ratio, & cauſa variationis alterius, niſi per accidens ex concurrentia caſuali earundem cauſarum variationis in vtriſque, quæ ſunt maior, & minor indigentia, & vtilitas, abundantia, & raritas, quæ ſunt cauſæ accretionis, & diminutionis rerum, vt Philoſophus oſtendit 5. *Eth. cap.* 3. *&* 1. *Rhet. cap.* 7. Quem ſequitur *I. C. in l. pretia rerum* 63. *ff. ad leg. falcid. §. fin, & l. ſi cui* 94. *ff. de ſolut.* §. 1., ibiquè communiter *DD. in tract. diu.* cum Theologis omnibus in *Tract. de Camb.* Idquè probatione non indigere, ſed naturali experientia deprehendi aſſeritur *in dec. granat. d.* 11. poſtquàm patefactæ ſunt Indiæ, quæ Hiſpaniam inaurarunt, argentoquè obruerunt, ſic varias ſemper, & vbique extitiſſe proportiones auri, & argenti ad vtriuſque copiam, vel inopiam omnes referunt ſcriptores. Iampridem veteres Orichalcum pretioſius auro duxiſſe; Indos, & Ethiopes auri materiam tàm vili æſtimaſſe, vt catenas noxiorum tantùm ex illo conflarent, refert *Alex. ab Alex. lib.* 4. *gen. cap.* 15. Quondàm etiam opifices ex argento Inſtrumenta ſecandi, & arma fabricatos fuiſſe, milites aurea caſſide, thorace, lorica, & aureis gladijs pugnaſſe, & Debas aurum, vt minus vtile, triplum ære ſimplo, & duplum argento ſimplo vicinis vendidiſſe poſt *Plin. lib.* 33. *Agric. de pret. mo. lib.* 1. Nunc etiam in nouis Indijs de auri, & argenti proportione ſimilia ſpectari in *dec. granat.* 11. *&* 12. plenè habetur; vndè vtriuſque temporis rationem complectens *Fab. cap.* 1. *Illud*; inquit, *vnum dicam quod probabilius videtur in diſtinguendis metallorum æſtimationibus antiquas illas Gentes inſpexiſſe præcipuè, quanam*

Digitized by Google

*nam ex iis frequentiora eſſent, quænam verò rariora. Perpetuò enim, & ad hæc vſque noſtra tempora obſeruatum eſt, vt quò quid rarius eò pretioſius eſſe exiſtimetur, ſi modò alicuius ſit vilitatis, licèt non tanta quanta aliud quid, quod ſit frequentius. Idquè ratio ipſa naturalis dictat. Vnde ſit etiam hodie, vt cùm apud nos nihil ſit auro pretioſius; iis tamen locis, in quibus tot ſunt auri fodinæ, quot apud Indos eſſe dicuntur ſit longè vilis; adeoquè, vt ita dicam, neglectum, vt, qui ex noſtratibus ad eos commeāt, ſi vel ex ferramentis noſtris abiectiſſima quæque permutent, tantundèm viciſſim ponderis auri accipiant; nempè quòd illis mercibus ipſi careant, quibus nos maximè abundamus.* Apud veteres autem Romanos, poſtquàm auro, & argento vſi ſunt; etſi, vt ait *D. Thom. l. 2. de reg. cap. 13. Tradunt hiſtoriæ, quòd tempore D. N. Ieſu Chriſti in ſignum ſubiectionis Romanorum vnum erat numiſma in toto Orbe terrarum, in quo erat Cæſaris imago, quam ſtatim cognouerunt Fariſei ſciſcitati à Domino Ieſu Chriſto ad diſcooperiendã eorum fraudem;* Mutato tamen Imperio mutari cæpit, vt benè obſeruat *Theſ. 1. part. num. 21. Priſcis Romanorum temporibus, vniformem in pondere, & ſubſtantia monetam fuiſſe reperimus, atque adeò inuariabilem, & immutabilem, nec de hac variatione ob id Iuris Auctores circa augmentum, & diminutionem loquuti ſunt, cùm Romani totius ferè mundi dominatores vnica vterentur monetæ ſpecie, iuſto pondere, & recta materia, ſuaquè forma exiſtente, quæ tamen forma mutato Imperio poſt Auguſtum Cæſarem mutari cæpit, ſed hodiè diuerſimodè æſtimantur monetæ, & ferè vbique, & in Italia præſertim vniuſcuiuſque Principis moneta, ſiue argentea, ſiue aurea expenditur.* Idem breuiùs, & formaliùs habet etiam *Scacc.* §. 1. *q.* 4. *num.* 28. vbi, *Licèt Romanorum tempore moneta eſſet vniformis, & immutabilis, cùm Romani ferè totius Orbis Domini vnica vterentur ſpecie monetæ iuſto pondere, proba materia, & ſua forma, tamen hodie moneta vbique, & præſertim in Italia diuerſimodè æſtimãtur, prout cuiuſq. Principis moneta, ſiue argentea ſiue aurea expenditur.* Quanta autẽ ex quo cæpit progreſſu temporis fuerit hæc variatio, deſcribit idem *Scacc. poſt Plinium; & Couarr.* §. 2. *gloſ.* 3. *num.* 52. *Romæ olim cùm eſſet auri penuria fuit proportio auri ad argentum, quæ eſt* 15. *ad unum, & poſteà* 10. *ad unum, & demùm variè variis temporibus, ità tamen, ut una pars auri nunquàm fuerit æſtimata pluris, quàm* 15. *argenti, neque minoris quàm decem;* cuius rationem breuiter attingit *Fab. cap.* 1. *Etſi qualis, quantaquè fuerit primis temporibus hæc proportio ſciri non poteſt, quia non tàm à natura profecta ſit, quàm ab hominum voluntate, & vt loquitur*

*Ariſt. 5. Ethic. a lege. aliquam tamen fuiſſe proportionem dubitandum non eſt &c. nec etiam dubito, quin pro temporum, & locorum varietate immutata plerùmque ſit hac proportio, proût aliquandò maior, aliquandò minor ſuppetit auri, vel argenti copia.* Idem probat *Agric.* tàm de priſcis, quàm nouis temporibus *lib. cit.* ex quo concludit, *Ex his intelligimus, priſcis illis temporibus idem auri, & argenti pretium non fuiſſe, vt nec nobis;* cuius cauſam aſſerens copiam, & inopiam idem *Scacc.* §. 1. *q.* 4. *num.* 27. *Si*, ait, *aliqua Prouincia plus auro, quàm argento abundet; aurum illic minori æſtimabitur pretio, quàm in alia Prouincia, quæ magis abundaret argento.* Idemquè proſequitur §. 2. *gloſ.* 3. *nu.* 52. 72. *& ſeqq.* Ex quo etiam Cambiorum originem conſet, in quo omnes communiſſimè conueniunt in eorum tract. Atque hinc factum eſſe refert *Epiſc. Lexouien. cit. cap.* 13. & alij poſt eum in *tract. diu.*, vt ad ſupplendam auri, argentiquè inopiam impoſitionem ligæ per æris admixrionem inuenerint, vt non omnes cudantur monetæ ex auro obryzo, cuius perfectio dicitur 24. charactorum, nec ex argento poſtulato; cuius etiam perfectio dicitur 12. denariorum, ſed ex inferiori liga pauciorum videlicet charactorum, & denariorum iuxtà qualitatem, & gradum mixtionis, ex quâ tertium quoque monetæ genus conſurgit, quæ nigra dicitur, & mediã viam tenet, inter argenteam, & auream, vt diſtinctè explicant *Brun. præſupp.* 1. *num.* 3. *Theſ. p.* 1. *num.* 17. *& Scacc. gloſ.* 3. *a num.* 52. *ad* 65. Non igitur variatio vnius eſſe poteſt per ſe cauſa, & ratio variationis alterius, niſi per accidens, vel in eodem genere, vt aureæ cùm aureis, argenteæ cùm argenteis, quæ inuicem commenſurantur, eidemquè cauſæ variationis æqualiter ſubiacent, vt experientia docet, & ab anno 1400. accuratè recenſet *Tabula Neniz. in fin. tract. diu.*

45 At dato etiam, vt plerùmque accidit de aurea, & argentea, quòd variatio vnius ſoleat eſſe cauſa variationis alterius, vel propter ſolitam concurrentiam dictarum cauſarum, vel etiam propter aliquam ponderis, & pretij proportionem, quam, *inſpecto*, vt ait *Faber cap.* 1. *non quod in hac, aut in illa Prouincia, ſed magis communiter apud omnes gentes obtinet*, debeant ſeruare, quæ non ex alio, quàm ex dicta concurrentia cauſarum, poteſt emanare, vt omnes communiter ſentiunt. Quod etiam de nigra, & ærosa aliqualiter dici poteſt, quatenùs non tantum debet eſſe argenti in ea, & valoris perfecta proportione, quantum in pura argentea ob maiores impenſas, quas in ſua cuſione requirit, cum plures nummi numero fiant, quò magis pecunia ære

miſce-

miſcetur, ideoquè ob dictarum impenſarum deductionem, valor in ea reſpectiuè ad puram argenteam paululum materiam excedit, & ſic mediam quandam viam tenet, vt notant *Brun. præſupp.* 1. *num.* 10. *Rener. cap.* 2. *num.* 36. *Scacc. gloſ.* 3. *cit. num.* 87. & peritè exponit *Agric. de pond. & temp. mo. lib.* 2. Attamèn de ærea, quantùmlibet etiam tincta, & ſuperficialiter inargentata, cùm propter vilitatẽ æris, ſit aureæ, & argenteæ incomparabilis, nulli cum eis obſtringitur materiali proportioni, ac per hoc nulla eſt in ea conſideratio metalli, ſed publici valoris, vt pro certiſſimo ſupponitur in *dec. granat.* 13. ideòque vt latè *ibid.* oſtenditur, diuerſimodè ab aurea, & argentea, totum ſuum valorem, & pretium abſolutè habet à poteſtate Principis, abſque vlla in materia proportione ad auream, vel argenteam, ac ſic alicubi perfectior, & alibi imperfectior cuditur abſque vlla cuiuſuis detrimenti ſuſpicione, vt ſuprà viſum eſt *num.* 27. ob quàm experientiam notat *Scacc. ead. gloſ.* 3. *num.* 53. *Libra æris ex quot aſſibus, ſeù quadrantibus, aut denariis conficeretur, & ex quot conficiatur hodiè, nondùm legi. Dico tamen, quòd hodiè, attenta varietate quadrantum, & denariolorum, quibus vtuntur, Status Eccleſiaſticus, Regnum vtriuſque Siciliæ, Genua, Etruria, & alia innumera Ciuitates, non poteſt dari reſolutio vniformis.* Nec enìm, vt dictum eſt, ex ſe talem habet bonitatem, & valorem, vt eius certa quantitas verè habeat æquare valorem argenteæ, aut poſcat certo pondere conſtare, vt valori commenſuretur, ſed totam ſuam vim habet in publica æſtimatione, quam accipit à beneplacito Principis, in qua etiàm poteſt permutationem recipere cum quauis pretioſiori, vt in *ead. deciſ. granat.* 12. latè oſtẽditur, vbi *num.* 20. *Verum eſt adeò in pecunia ærea valorem, & auctoritatem publicam excellere, & occultare materiam, vt quàntitate nummorum poſſit æquare aureos, & argenteos, ſi æſtimatione ſua, ad eos referatur*; aliter verò de aureis, & argenteis, quæ debito valore, & certo pondere conſtant.

Tanti autèm diſcriminis ſi ratio petenda à primis; Iàm conſtat ex dictis, æs quidem apud veteres primos pecuniæ accepiſſe honores, deindè vero auri, & argenti fulgore, & raritate in pretio habita, æris vilitatem tùm ex ſubſtantia, cùm ex quantitate promanantẽ à communibus gentium Commercijs eiectam; ſic etiàm refert *Iſid. lib.* 16. *orig. cap.* 19. *Priùs erat in pretio magis æs; aurum verò, & argentum reijciebantur, nunc verſa vice iacet æs, aurum ſummo ceſſit honori, ſic voluenda ætas commutat tempora rerum, & quod fuit in pretio, ſit deni-* 46

que

*que nullo in honore.* Idemquè canit *Poeta in primo Faſt.*

*Aera dabant olim, melius nunc omen in auro eſt,*
*Victaq. conceſſit priſca moneta noua.*

Proinde appellatione monetæ auream, & argenteam propriè intelligi, æreamquè pro moneta non haberi, aduertit *Io. Aquil. de mo. cap. 6. per gloſ. & DD. in l. 2. C. de falſ. mon.*, & oſtenditur in *deciſ. granat. 12. num. 67.* Quamuis enim adhùc aliquo in vſu ſuperſit, tantùm tamen abeſt ab aurea, & argentea, ſicut cùm *Theſ. & Scacc.* notatur in *dec. granat. 21, num. 15.*, vt nec ſuo inſtituto, nec æſtimatione, aut vtilitate poſſit cùm aurea, & argentea conferri. Inſtituto quidèm, quia non ampliùs ad ſubuentionem, & facilitatem permutationum, vt aurea, & argentea eligitur; ſed ad id quod excurrit, vt rectè notat *Voluſ. de aſſe. Cùm ad denarium ratio conficitur, excurrentis æris nota inuenta eſt*; ad commoditatem Ciuitatis in paruis venalibus, & cibarijs minutatim emendis, ac acceſſoriè ad aliqualē publici ærarij vtilitatem. Aeſtimatione autem non poſſe auream, & argenteam æquare, experientia oſtenditur *dec. cit. num. 17. Nàm paulatìm, quò valor monetæ groſę in his regnis accreuit impoſititio valore, & numeroſa quantitate, non ſolùm argenteam non ęquauit, verùm nimis accreſcere fecit, ipſa viliori pretio habita.* Ex *num. 38. Nec ratio auri ad argentum eſt, quę ęris ad metalla; quia licèt grandi exceſſu ęs poſſit ea æſtimare, tamèn ſemper in pecunia uileſcit groſa, quia licèt illud præcipuum nummorum eſt, ut etiam in minimis ęſtimatio non minima inſit ad rerum æquabile pretium, tamen nunquàm ex communi Gentiū vſu in ęneis receptum fuit; uerum neceſſitas, quę admiſit æneos quadrantes ad minutarum rerum promiſcuas, & uſitatas emptiones, ſimul reiecit eos cùm immoderate cuſi, ut tūnc abundantia quaſi in ſe ipſa contumelioſa ferè ineſtimabiles redderet.* Vtilitatem quoque non ſimilem afferre, quam aurea, vel argentea practicè colligitur *num. 20. Quia groſa non ſic conſtat ualore intrinſeco, & in æris minutatim dinumeratione multum temporis conſumitur, & facilius fallitur, ſed & grauior eſt, & plus loci occupat, & difficiliùs, maiorìq. cùm periculo tranſportatur, & eius ualor anguſtioribus finibus terminatur, non ſplendida, ut aurea, & argentea, ſed nigra coinquinat numerantem, ac tot ſuſtinet damna, ut meritò omnes uitare ſatagant; refert hæc damna, & alia Scacc. §. 2. gloſ. 5. num. 117. ad quid quęsò totius Orbis cura, ut monetas aureas, uel argenteas ſollicitet, ęneas uerò deſpiciat?* Etiàm Romanis ex quo aurum, & argentum effulſit, æs adeò viluit, vt æreorum vocabulis homines contemptos, & abie-

Digitized by Google

& abiectos, *treſſis, ſemiſſes, quadrantarios, diobolarios. & triobolarios* nominarent, teſte *Agric. lib. 2. de pond. mo.*

Propterea plurium Regnorum ordinationibus eiuſmodi monetæ vſum reſtringi ad ſolutiones tantùm exiguarum ſummarum, à Luſitanis ad quartam debiti partem, à Franciæ Senatu, & Pedemontano ad tertiam tantùm, Conſtitutione Ferd. Imper. lata Auguſtæ 1559. ad 25. florenos, & decreto Sereniſſimi Senatus Genuæ 1461. ad quinque libras, cùm eodem *Scacc.* refertur *num.* 19. Quarè, vt ibidem concluditur, *argumentis, re ipſa, & practica experientia apertè liquet æſtimatione non poſſe monetam æream cum aurea, vel argentea conferri.* Sic parùm proindè, & nihil refert, ſi in genere monetarum, æreæ ſint cæteris deteriores, ſiuè perfectiores, ſiue imperfectiores hic quàm alibi, nunc, quàm anteà cudantur, nihil ſanè ad augendam, vel minuendam perfectionem, aut valorem monetarum maiorum, cùm illæ ad iſtas, vt iſtæ ad inuicem, nullam ſeruent in materia proportionem, nec illæ, vt iſtæ communi gentium æſtimatione cohoneſtentur, ſed tantùm, vt habitum eſt *num.* 27. cùm quantitas continua per diſcretam cognoſcatur, numerus earum deſignat, & decernit quaſi quoddam continuum pretium iſtarum, quod non minùs agerent ſi ferreæ, vel plumbeæ, vel etiam vilioris materiæ cuderentur, quod Principis poteſtati eſſe plenè ſubiectum conſtat ex dictis *nu.* 43. & plenè oſtenditur *dec. granat.* 12. *num.* 21. *& ſeqq.*, varijsq. exemplis hauritur, tùm veterum ab *Ariſtotele lib. 2. Econom. Plin. lib.* 33. *Sabellico lib. 4. Enead.* 5. *Alex. ab Alex. lib. 4. genial. cap.* 15. *Dione, Suida, & aliis*, Vndè *Seneca* aptiſſimè *lib. 3. de benefic. cap.* 14. *Aes alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum, quale apud Lacedemonios fuit, quod vſum numeratæ pecuniæ preſtat, quo genere obligatus ex hoc fidem exoluet*; cùm etiam recentiorum, ex *Agric. de temp. mo. lib.* 2. vbi præter ſuprà relata *n.* 14. plumbeis Anglos vti teſtatur. Innumeras verò nummorum varietates in bellicis neceſſitatibus excogitatas latè refert *Rener. lib* 1. *de mon.* Nec ſilenda eſt, quàm ſcribit *Nebriſſen. decad.* 2. *lib.* 3. *c. vlt.* In bello Granatenſi ex carta manu Principis ſignata omnia monetarum genera, pretia, & differentias pretiorum ſub proprijs nominibus aureæ, argenteæ, & æreæ fuiſſe confecta. 47

Ex quibus manifeſtè conſtat, vt in *deciſ. granat.* 12. infertur, nihil intereſſe ex quacunque materia moneta minuta cudatur, & quacunque æſtimatione Principis auctoritate donetur, cùm ratio potiſſima 48

electæ

electæ materiæ fuerit vniuerſale commercium vbique gentium peragendum, quod eſſe non poterat, niſi tale quid dandum, vel accipiendum eligeretur, cuius vtilitate, perpetuitate, ac pretioſitate omnes allicerentur; quæ ratio ceſſat in moneta minuta, vt notat etiam *Scacc. gloſ. 3. cit. num.* 88. Cùm non communibus commercijs fuerit admiſſa, ſed tantùm minimis ſuffecta, & anguſtis finibus propriæ Regionis incluſa; Quamquàm generaliter ad congruentiores vſus, de quibus *Faber. cap. cit. in princ. & Scacc. eod. nu* 88. *per l. Cornel.* 9. *verſ. eadem lege de falſ.* ſancitum fuerit, vt non niſi ex auro, argento, vel ære pecunia conſletur, proùt, *& l.* 2. *§. deinde cum eſſet, de orig. Iur.* Pomponius meminit de triumuir. monetal. Romæ, quos vocat *ęris, argenti, auriq. flatores.* In qua conflandi poteſtate, de aurea quidem, & argentea, quæ orbem circuire debet, per ſupra relata irrefragabiliter requiritur, vt ſtatutum pondus, & qualitas materiæ ſeruetur, quia non alitèr ſuſtineri commercia poſſent. De ærea verò, quæ ab omni reiecta commercio propriæ Regionis limites egredi non valet, quia hoc tantùm poteſt parere inconueniens, vt immoderatè cuſa nimiùm vileſcat, ac aureæ, & argenteæ valorem immodicè augeat, conſulitur *ead. dec.* 12. *num.* 15. & optimæ regendi Arti congruum eſſe cenſetur, eiuſmodi monetæ æreæ parum cudere idquè obſeruantes Prudentiſſimos Catholicos Reges Legibus ſuis ſedulò decreuiſſe, vt ſemper huius monetæ parua quantitas cuderetur, atque in ſeptem monetarijs Officinis, Toleti, Granatæ, & alijs quinque ſolùm permiſſum cudere decem millies quadrantum æris, cùm ex huius pecuniæ natura, & inſtituto hæc quantitas, etſi minima, tot ampliſſimis Regnis ad minùta commercia, exiguarum rerum emptionem, & quod argentei nummi excurreret æſtimandum ſufficere poſſet; Similem prudentiam in ſtatu Eccleſiaſtico obſeruat etiam *Scacc. loc. cit.* eamquè omnibus Principibus conſulit *Theſ. prima par. num.* 24. Hæc de ærearum generibus in gratiam Catholicorum Principum ſint paululùm prolixè digeſta, ne ſi huiuſmodi pro rerum oportunitate immutent, ex hoc confeſtim quis, vel maledicus eorum integritati detrahere, vel cupidus augmenti litem prætextu deteriorationis mouere temerè audeat.

Aug-

## Augmentum extrinſecum ſtatuitur.

EX his tandem ſupereſt ſecundum augmentum tantùm, videlicèt extrinſecum hoc tempore in vſu eſſe; quod vel ex eo maximè liquet, quòd ſolo opere hominum cauſari conſtat. Cæterorum namque augmentorum, vtpotè ex materiæ mutatione conſtantium ſolus Princeps poteſt eſſe cauſa; & ſolius extrinſeci, cùm ſit per ſolam pretij acceſſionem Princeps, & Populus. Quod proindè ſi diffiniri debeat, nihil aliud eſſe dicetur, quàm maior quædam monetæ æſtimatio iuſſu, aut permiſſione Principis publicè habita. Idemque inſinuat *Theſ.* 1. *&* 2. *par. num.* 3. 49

Quam quidem præ cæteris mutationibus ex hominum opere exiſtere, plures, & peculiares rationes aſſignantur communiter à DD. in *tract. diu.* & ſingillatim à Theologis in *tract. de Camb.* ex cauſis ſuperiùs *num.* 44. pertactis, copia videlicèt, & inopia, maiori, & minori indigentia, & vtilitate deriuantes. Valet enim ob eiuſmodi cauſas etiā in pari intrinſeca bonitate plus vna moneta, quàm alia, in vno loco, quàm in alio, in proprio, quàm in extraneo, & in proprio quoque plus, & minus ſucceſſiuè pro diuerſis circunſtantijs temporum, & infinitis negotiorum contingentijs, quæ exceſſum, & defectum valoris operantur. Valet etiam ob promiſcuas, & varias adiacentias, puta, quia diuturnior, & incorruptibilior, & ad conſeruandum melior, vel ad numerandum aptior, vel ad expendendum communior, vel ad traijciendum facilior, vel ad commutandum pluribus Regionibus, & Gentibus vniuerſalior. Valet prætereà, quia à deteriorationis, & reprobationis periculo tutior, vel etiam ad plura vtilior; vt aurea, & argentea perfectior, non tantùm ad ſoluendum, ſed ad deaurandum, ad medendum, & pretioſas auri, & argenti ſupellectiles ſuppeditandum. Hæc ſpeciatim DD. prætacti, qui proindè cùm *Philoſopho* 1. *poſter. cap.* 6. *& D. Thom.* 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. duplicem pecuniæ vſum diſtingunt; alterum formalem, & primarium, ſeù principalem, ideſt ſecundùm rationem pecuniæ, qui conſiſtit in publico valore, quo habetur in ordine ad cōmutationes; alterum materialem, & ſecundarium, ideſt ſecundùm materiam pecuniæ, qui conſiſtit in qualitate, & pondere metalli, alijſq. accidentibus eiuſmodi materiam conſequentibus in ordine ad proprias, & ſpeciales vtilitates, vt ad fuſionem, artificialium efformationem, oſtentationem, &c. vt infrà *num.* 64. Eadem elegantiſſimè poſt 50



Digitized by Google

omnes *Scacc.de Commerc.*§.1.*q.*4.*nu.*26.27.*&* 28. Propter quæ etiam euidentèr §.2.*gloſ.*5.*nu.*108. concludit, diſpoſitionem illam. DD. *ad l.*2.§.1.*ff.ſi cert.petat.* quòd aliud pro alio inuito Creditore ſolui poſſit, ſi ex eo damnum non patiatur, reddi inutilem, & inanem, quia non eſt dare caſum, in quo inſiſtendo non poſſit conſiderari aliquod Creditoris damnum.

51 Tot igitur cauſæ ſimul, & diuisìm augmentum extrinſecum in dies operantur; maximè autem, vbi magis vigent commercia *propter communicationem,* vt ait *D.Thomas lib.*2.*de reg. cap* 13. *extranearum monetarum.* Quod factum in ſpecie demonſtrat *Theſ.ſub nu.* 24. *Qui ſolutionem aliquam extraneis, aut in alieno dominio facere volunt, & ob id exteras, aut alias monetas puri auri, vel argenti extrahere cupiunt, coguntur illas maiori indigenariæ pecuniæ quantitate comparare, E.G. Si quis congregare modò vellet duplarum Hiſpaniæ quantitatem, vt ijs in ſuo negotio, vel ſolutione vtatur, neceſſe illi erit, florenos triginta, & ſemis pro ſingula dupla perſoluere, cùm paucis ab hinc menſibus pro florenis* 28. *aut* 29. *eandem habuiſſet; qui ducatonos Sabaudiæ, vel alterius Principis quærit florenos* 12. *pro ſingulo perſoluet, cùm nuper florenis* 11. *cum dimidio eius valori ſatisfeciſſet.* Circulariter autem quodammodò, vt experientia conſtat, & aduertit *Laym. nu.* 24. monetæ omnes augentur extrinſeco valore, quia cum pretij proportio, vt dictum eſt *num.*45. in aureis, & argenteis ſeruetur, hoc ipſo, quòd vna ſpecies augetur, alia in progreſſu ad illius proportionẽ euehitur, & ſic ſucceſſiuè de reliquis. ſemel, atque iterùm adeò, vt ſemper finis coniungatur principio, etſi Principum Edictis quãdòq. interrũpitur, vt manifeſtè oſtendit *tabula Neniz.* ab anno 1400. Ad quem exceſſum euitandum, vt refert *D. Thom. lib. cit. de regim. cap.*13. *In partibus Teutoniæ, & Regionibus circumſtantibus coguntur, cùm de loco ad locum tranſeunt, maſſam auri, vel argenti ſecum deferre, & quantum in commutationibus rerum venalium indigent, tantum vendunt.*

52 Præcipua inſuper ab enumeratis non modicæ accretionis cauſa omnium monetarum maiorum eſt, ſi immenſa quantitate ærearum, aliarumque minutiorum monetarum obruantur; nimiam namque earum abundantiam vileſcere oportet, & reſpectiuè ad eas pretioſiores extrinſecus maiores euadere, cùm pluribus ex illis penè inutilibus opus ſit ad has vtiliores pro cõmercijs peragendis comparandas. Id in ſpecie manifeſto eſperimento Hiſpaniarum nuper oſtenditur *in nou. dec. granat.* vbi *dec.*21.*nu.*17.*Paulatìm, quò valor monetæ æroſæ excreuit impoſiti-*

*poſiti-*

Digitized by Google

*poſititio valore, & numeroſa quantitate, nō ſolùm argenteam non æquauit, verùm nimis excreſcere fecit, ipſa viliori pretio habita.* Quantum verò fuerit tale augmentum ſubijcitur *num.* 49. *Cum nimia æroſæ monetæ cuſione maximè hæc Regna vexarentur, quia multum excreſcerent Cambia de vna moneta ad aliam, & ferè* 70. *pro* 100. *æroſæ ad argentea permutationem ſoluerentur &c.* Hoc autem mirùm non eſt, vt nimia cuſione tantum moneta minuta vileſcat, quandoquidem in pretioſa quoque auri, & argenti moneta hoc idem affluentia efficiat; vt Romæ ſub Iulio Cæſare, cum deuictis Gallis maximam auri copiam attuliſſet, ſcribit *Sueton.* & latè ſuprà *nu.*44. *& in dec. granat* 12. vbi *nu.*33. refertur. Ex opimis ſpolijs inſigni victoria adeptis ab Alphonſo Rege Caſtellæ de ſupra ducentis Maurorum millibus, monetarum valorem in Hiſpania immodicè decreuiſſe, ſimulque mercium pretia non modicè excreuiſſe; Ex quo ad propoſitum concluditur *num.* 34. *Si nobiliſſimi metalli copia ex eo accidenti obueniens diminuit æſtimationem pecuniæ, & rerum pretia auxit; quantò magis tàm grandis illuuies pecuniæ æroſæ ex ignobili metallo cuſa plusquàm viginti, & quinque annis, malleis, & incude continuò obſtrepentibus, & innumerabili adulterina moneta nobis illata, ipſam in vile pretium conijciet &c.*

Quàm verò efficacior incomparabiliter ſit eadem augmenti cauſa, 53
ſi ab exteris quoque ad exportandas aureas, & argenteas monetas cumuli æroſarum importentur *eadem dec.* 12. de facto oſtenditur, vbi *nu.*56. *Cùm moneta æroſæ æſtimatio nimis excederet valorem metalli, & maximum lucrum ex eius cuſione accreſceret, Batauí Inſulani noſtri Imperij rebelles illud vſurpare intenti, ſuburræ loco naues ſuas falſis æneis monetis onuſtas in noſtra litora inuehentes, & argenteis oblata maiori quantitate, permutantes, potentia, & diuitijs excreuerunt.* Item *num.*66. *Batauí pro* 100. *regalibus noſtris argenteis cum ducentos æroſæ monetæ & fortè trecentos offerrent, lucri auiditate omnes nummos argenteos commutabant.* Indè etiam eſt, vt ad eiuſmodi fraudes euitandas ipſimet Principes iuſtè, & legitimè augent valorem monetarum, proùt his noſtris temporibus Principibus Imperij defenſionis gratia contrà Caluiniſtas, viros prudentes ſuaſiſſe, ac neceſſarium duxiſſe refert *Layman. nu.*9 de quo proindè augmento ſpeciatim *Theſ.*1.*p. nu.* 32. *Hanc*, inquit, *variationem, & ampliorem æſtimationem, plerumquè ab inuitis Principibus neceſſitas commerciorum, & infelicitas temporum extorquet.*

Aliam etiam cauſam augmenti aureæ, & argenteæ monetæ innuit 54
idem *Theſ. nu.*26. conſumptionem videlicet illius in ſupellectilibus,



Digitized by Google

indumentis,& alijs ornatibus à nimio luxu inductis; conſumptione ſiquidem rarior efficitur, vſu quoque vtilior redditur; quò autem aliquid rarius, & vtilius, eò etiam pretioſius æſtimatur; vt ſatis liquet ex dictis,& quotidiana experientia demonſtrat.

55 Quarta denique, & vltima, etſi fortè efficacia,& virtute prior cauſa augmenti non ineptè dicitur cupiditas ditandi, hæc enim cùm infinita ſit, infinitum quoque appetit augmentũ, vt traditur 1.*pol.cap.6.* *Cùm ergo cupiditas in infinitum extendatur, illa, qua efficiunt infinita cupiunt.* Item immediatiùs; *Terminus eſt finis omnibus, pecuniatiua non eſt finis terminus, omnes enim in infinitum augent, qui pecunijs ſtudent*; ſic etiam *Iuuenal.lib.5.ſat.2. Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit*; Vndè & *Cic. lib.4. in verr. Qui modus eſt in rebus cupiditatis, idem eſt æſtimationis, difficile eſt enim finem facere pretio niſi libidini feceris*; hæc autem eſt, cuius *Prou.*30. duæ ſunt filiæ *affer, affer*, & quæ nunquam dicit *ſufficit*; Cuius vnica ratio eſt, *Eccl.*10. *Pecuniæ obediunt omnia.*

56 Tot igitur ſunt cauſæ, quibus, vt refert *Rener. lib.* 1.*de mo. cap.* 16. *nu.*8. *Ab eo tempore, quo pecunia in vſu eſſe cepit, ſemper ferè eius valor extrinſecus creuit, rariſſimè verò diminutus fuit, & lib.*2. *cap.*2. *num.*29. *Rariùs nummorum ſpecies decreſcunt, foret enim hoc quaſi miraculum, ſed quaſi magis, magiſque augentur, & cap.*4. *nu.*12. *Creſcit in dies magis, ac magis augmentum ſumit monetarum in vniuerſum omnium æſtimatio, quod ſingillatim conſtat ex Tabula Neuiz.* Idem confirmat *Theſ. nu.*26. ſuperaddens *nu.*37. nonniſi Principum Edictis,iiſque propter difficilem obſeruantiam reiteratis ad priorem ſtatum reformari.

57 Ex his apertè conſtat,quid de augmento ſentiendum in Sereniſſima Republica, in qua pertacta locum præcipuè habere nullus eſt dubitandi locus. Cùm enim Genuenſes, vt in ipſorum laudem fatetur etiã *Scacc.* §.2.*gloſ.*2.*nu.*6. celebriùs præ cæteris ad omnes Mundi partes inſignes commerciorum vires extendant, neceſſe eſt, & monetarum communicatione, omnium Regionum variationes proportionaliter communicare, & crebra earumdem diſtractione, ac permutatione ſingularum ſucceſſiuè inopiam quandam ſuſtinere,nec non ad varias ſibi ſortes conquirendas, eas altiori valore, aliquid ſcilicet modo, quem innuit *Theſ.* ſuper imponendo comparare, quod in communem deindè, & debitum monetæ valorem frequenter recipitur; atque adeò oportet,vt ad ſupplendas eiuſmodi indigentias (ſic egomet in Patria commorans ſæpiùs vidi) magis, magiſque in dies pretia monetarum extrin-

Digitized by Google

extrinſecùs augeantur. Cui etiam augmento non paulùm ſuffragantur ingentes ærearum, & æroſarum cumuli, non tàm ex noſtrarum percuſſione, quàm exterarum introductione, ad aureas, & argenteas exportandas exaggerati, vt impoſſibile ſit, quin ex his omnibus pretia monetarum immodicè augeri inceſſanter experiamur. Sic olìm ad publicum bonum à Principe aucta teſtatur *Brun. in prin. de mo. num. 3. Aliquandò moneta pluris expenditur, quam valeat ex mandato ſuperioris, nè poſſit ſine iactura, aut facilè extra Dominium exportari, vt quandòque faciunt Domini Ianuenſes*. Quotidiè verò ex vſu à Populo augeri teſtatur *Scacc. §. 2. gloſ. 3. nu. 93. Populus aliquandò ex vſu mutat moneta valorem à Principe impoſitum, hancq. mutationem ſepè faciunt Genuenſes*. Quarè nulla omninò falſatio, aut deprauatio monetarum, quæ in optima Republica longè relegatur, nulla improborum fraus, quæ ſollicitè cauetur, cauſat augmenta monetarum, ſed temporum varietates, commerciorum conditiones, rerumque viciſſitudines poſtulant, vt dicta *Phil. 5. eth. cap. 5.*ineuitabiliter experiamur, *Oportet vno omnia menſurari; hoc autem re vera quidem eſt indigentia, quæ omnia continet, & 1. Rhet. cap. 7. Quoniam id maius eſt, quod rarius eſt, atque difficilius, occaſiones quoque, ac ætates, loca, tempora, vires, maiores res reddunt*.

Accedit ad hæc auri, & argenti indeficiens effuſio in ſumptuoſiſſima ſupellectili, tùm in priuatum, ac ſplendidum vſum, cùm præcipuè in publicum, ac ſplendidiſſimum cultum Sanctiſſimæ Deiparæ pijſſimę Reipublicæ Reginæ. Centena in templis, in vicis, & domibus digniſſimæ Dominæ, auro, & argento clariùs, quàm igne luminaria fulgent, perpetua ſingulariſſimæ deuotionis monumenta, deuotæquè vrbis validiſſima præſidia. Vrbs verè digna, quàm gratioſiſſimus Reginæ *D. Bernardus* condigna ſponſione magnificet. *Epiſt. 129. ad Genuenſes. In æternum non obliuiſcar tui Plebs deuota, honorabilis Gens, Ciuitas Illuſtris*. Spero autem in hoc etiam augmenti diſcrimine, & certus ſum, quòd ſicut Sponſoris ſui ſentit auxilium, ſic, & audiet conſilium, *Si quis fortè in vobis, quod Deus auertat, rem tàm fœdam committere deprahendatur, extendere videlicet manum ad turpe lucrum, hunc protinùs notate, & iudicate hoſtem nominis veſtri, Ciuium proditorem, ac venditorē cōmunis honoris, & honeſtatis*; adeòq. iterandum inclitæ vrbis encomiũ, *Exieram planè ſeminare ſemen, non meum, ſed Dei; & cadens in terram bonam ſemen bonũ, fructũ fecit centuplũ, & tēpeſtiuum. Mira celeritas, quia magna neceſſitas. Nec tarditatem paſſus ſum, nec difficultatem, vna penè die, & ferens, & metens, & reportans cum exultatione manipulos pacis*. 58

AR-

# ARTICVLVS IV.

## Cui, & quale Augmentum de beatur.

59 PRAEMISSIS ijs, quæ tanquam principia, & cauſæ faciunt ad propoſitam quæſtionem; Iam eius veritatem ex natura Iuſtitiæ Commutatiuæ cum *Philoſopho, & S.Thom.* alijſq. ſapientibus, & Iuriſprudentibus,per Iura omnia, & rationes,quæ Iura confirmant *1. diſt. cap.* demonſtrare facilè poſſumus. Non noua, nec noſtra afferemus, illi firmiter inhærentes, *Nè innitaris prudentiæ tuæ cap.5.de Conſtit.*ſed tradita à maioribus, & ab omnibus communiſſimè recepta complectemur, vt faciendum imponit *tex.expreſſ.9.diſt.cap. in Canon.* Et varij licèt diuerſorum ſint modi dicendi, illud tamen recolentes, quod ex Philoſopho docet *Angelicus Doctor 2.2.q.49.art.3.Cùm in operabilibus, ſint quaſi infinitæ diuerſitates, non poſſunt ab vno homine ſufficienter omnia conſiderari; Vndè oportet attendere expertorum, & ſeniorum, & prudentium indemonſtrabilibus enunciationibus, & opinionibus,non minùs, quàm demonſtrationibus.* Libet non eos ad quemcunque ſonum verborum petulanter impetere, ſed per omnia ſectando eorum mentem, diſtinctè comprehendere, vt ſinguli ſapienter in ſuo ſenſu abundent, eorumque ſenſus in pares veritatis angulos ſua varietate ferantur. Sic etenim fieri debet interpretatio,per quam DD. reducantur ad concordiam,& non ſibi ipſis contradicere videantur, vt in *cap. inter dilectos de fid. Inſtru.*

### Iuſtitiæ Commutatiuæ origo, & eſſentia.

60 PHiloſophus ergò, S.Thom. alijq. Commentatores *in 5.eth.cap.5. & 1 polit.cap.6.* ſequentibus communiter *DD.cum Paulo I. C. in l.1.ff.de contrah.empt.* in indaganda origine, & eſſentia Iuſtitiæ Commutatiuæ, ab eo principio omnes conſimili textu ordiuntur. Cómerciorum omnium commutationumque ſubſidia humanæ ſocietatis, vitæque ciuilis inſtitutioni neceſſaria, ſinè Commutatiua Iuſtitia, cui primò innixa prodierunt conſiſtere non poſſe. Iuſtitiam autem Commutatiuam eſſe æqualitatem quandam dati, & accepti, non quidem ſecun-

ſecundùm quantitatem materialem, & contrapaſſum rei ad rem, vt Pythagorici ſenſerunt Iure illo *Rhadamanti* legiſlatoris.

*Si contrapaſſus fuerit, quod fecerit idem,*
*Iudicium planè rectum, vindictaque fiet.*

Quo Iure, vt commentatur *Albert. cap.8. paraphr. Determinabant Iuſtum ſimpliciter eſſe contrapaſſum, quod vocabant determinatum ad legem talionis, tàm in diſtributionibus, vt tantùm recipiat, quantum boni, & mali intulit Reipublicæ; quàm in commutationibus, vt tantum, & tale recipiat ſecundùm quantitatem, & modum, quantum, & quale fecit alteri; dentem ſcilicet pro dente, oculum pro oculo, & vitam pro vita, res pro re-* 38
*bus, verba pro verbis, ſecundùm quod etiam prouerbialiter dicitur, ſicut feciſti fiat tibi, & illud, res dare pro rebus, pro verbis verba ſolemus;* quod contrapaſſum improbatur ibidem multipliciter à Philoſopho. Sed eſt æqualitas ſecundùm quantitatem formalem valoris, & pretij, quæ dicitur æqualitas *ſecundùm rationem*, & non *ſecundùm rem*, ſeù *contrapaſſum ſecundùm proportionalitatem, & non ſecundùm rei æqualitatem*. Vndè & Commutatio eſt *ſecundùm diametrum, non ſecundùm latera quadrati*, vt ibidem figuratur. Cùm enim res diuerſas, immò, & eaſdem ob inæqualem bonitatem ſibi pro varietate locorum, & temporum, aliorumquè accidentium competentem, impoſſibile ſit ſecundùm ſe ipſas adæquari, non poſſet ſine tali adæquatione valoris, & pretij ſeruari æqualitas, nec proindè humana ſocietas. *Si igitur primum ſit ſecundum proportionalitatem æquale, deindè contrapaſſum fiat, erit quod dicitur, ſi autem non, non eſt æquale, neque manet ſocietas, nihil enim prohibet melius eſſe alterius opus, quàm alterius; oportet igitur hæc vtique æquari cap. cit.* Adæquatio autem valoris, cùm non accipiatur à rebus abſolutè, & ſecundùm ſe ipſas, oportet, quòd accipiatur à rebus comparatiuè ſumptis; *propter quod omnia comparata oportet aliqualiter eſſe, quorum eſt commutatio cap. cit.* Et ideò, vt benè aduertit *Io. Burid. eod. cap. quæſt.15. Quæ non ſunt comparabilia, neque ſunt commutabilia, vt bona exteriora cum bonis corporis, & bona corporis, cum bonis animæ, quoniam nullus recti iudicij vellet pro bobus, vel ouibus, vel quibuſcunque hominis exterioribus vitam corporalem amittere; Item bona animæ nullis bonorum exteriorum, vel corporis appreciabilia ſunt, eo quòd ſunt fines ipſorum, & ordinata in finem, quantumcunque multiplicata non poſſunt attingere finis bonitatem, & perfectionem.* Comparatio autem ſumitur, non ſecundùm proprias naturas rerum, ſed per commenſurationem ad vnum, quod eſt humana indigentia, ſiuè, vt alij dicunt opus, vſus,

ſeù

Digitized by Google

ſeù vtilitas, quæ ſola eſt cauſa commutationum. Sic *eod. cap. Oportet igitur vno aliquo omnia menſurari, hoc autem ſecundùm veritatem quidem eſt indigentia, quæ omnia continet, nam ſi non indigeant, aut non ſimiliter, non omninò erit commutatio, aut non eadem erit,* hoc eſt, vt interpretatur *D. Tho. Ideò poſſunt omnia adæquari, quia omnia poſſunt commenſurari per aliquid vnum, hoc autem vnum, quod omnia menſurat, ſecundùm rei veritatem eſt indigentia, quæ continet omnia commutabilia, in quantùm omnia referuntur ad humanam indigentiam, non enim appretiantur ſecundùm dignitatem naturæ ipſorum, aliquin vnus Mus, quod eſt animal ſenſibile maioris pretii eſſet, quàm vna margarita, quæ eſt res inanimata; ſed rebus pretia imponuntur ſecundùm quòd homines indigent eis ad ſuũ vſum; & huius ſignum eſt, quòd ſi homines nullo indigerent, nulla eſſet commutatio, vel ſi non ſimiliter indigerent, id eſt his rebus, non eſſet eadem commutatio, quia non darent id, quod habent pro eo, quo non indigerent.* Idem ratione probat *Burid. eod. cap. q. 16. Bonitas, ſiue valor rei attenditur ex fine, propter quem exhibetur; Vnde Commentator 2. Meth. Nihil eſt bonum niſi propter cauſas finales. Sed finis naturalis, ad quem Iuſtitia commutatiua ordinat exteriora commutabilia, eſt ſupplementum indigentiæ humanæ; V. G. ſi indigeo blado, quo tu abundas, & tu indiges vino, quo ego abundo, commuto tibi vinum pro blado, & ità vtraque noſtra indigentia eſt repleta. Igitur ſupplementum indigentiæ humanæ eſt vera menſura commutabilium.* Hinc mirè *D. Aug lib. 11. de Ciu. cap. 16.* diſtinctis varijs rerum gradibus, quibus aliæ alijs antecellunt ordine naturæ. *Eſt autem,* inquit, *alius, atque alius pro ſuo cuiuſque vſu æſtimationis modus, quo fit, vt quædam ſenſu carentia quibuſdam ſentientibus præponamus. Quis enim non domi ſuæ panem habere, quàm mures, nummos, quàm pulices malit? Sed quid mirùm, cum in ipſorum etiam hominum æſtimatione, quorum certè natura tantæ eſt dignitatis, plerumquè cariùs comparetur equus, quàm ſeruus, gemma, quàm famula. Ità in tali libertate iudicandi plurimùm diſtat ratio conſiderantis à neceſſitate indigentis, cum iſta quid per ſe ipſum in rerum gradibus pendat, neceſſitas autem quid propter quid expetat cogitet.* Hæc autem indigentia, quæ eſt menſura valoris, non eſt iſtius hominis, vel illius, ſed indigentia communis iuxtà *text. expreſ. in l. 63. ff. ad leg. falcid. Pretia rerum non ex affectu, nec vtilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur,* ideſt *æſtimantur gloſ. ibid. & DD. communiter.*

61 Verùm quia commutationes rerum communem indigentiam supplentes difficiles multipliciter erant, aut carentia, aut improportione commu-

commutabilium, aut diſtantia locorum, aut temporum, quia nimirùm, non ſemper contingit, quòd cum quis habet, quo alius indiget, ille viciſſim habeat, quod alter accipiat, aut ſi habet, poteſt eſſe tanti valoris, vt improportionabiliter excedat valorem alterius, velùt ſi vnus indiget dómo, cùm alter idigeat calceo. Itèm, data etiam proportione, poteſt eſſe res commutabilis in tanta diſtantia loci, vt maioris ſumptus ſit eius aſpottatio, quàm ipſa res valeat. Demùm in vno quoque; & eodem loco accidit, vt qui nullo indiget in præſenti, indigeat in futuro. Propter has ergò Commutationum difficultates, neceſſe fuit vnum aliquid adinuenire, quod eſſet omnibus in valore æquiualens, vt omnium valorem menſuraret, & omnia per ipſum haberi poſſent, materia diuiſibile, vt per additionem, & ſubtractionem quemcunque rei valorem commodè æquaret, quantitate paruum, vt quòcunque facilè aſportaretur, duratione perpetuum, vt pro futura indigentia incorruptibiliter ſeruaretur, & fideiuſſor neceſſitatis perpetuus maneret; cumque nihil tale naturaliter occurreret, communi hominum placito inſtitueretur; hoc autem eſt numiſma, quod propterea nomen habet à *nomo*, ideſt *Lege*, eò quòd *non natura, ſed lege cōſtat* 5. *eth. cit.* Vbi etiam, *Propter commutationem neceſſitatis Numiſma factum eſt ſecundùm compoſitionem, & propter hoc nomen habet Numiſma*. Item *Pro futura autem commutatione ſi nunc nihil indiget, quoniam erit, Numiſma fideiuſſor eſt nobis, oportet enim hoc ferenti omne accipere*. Adhùc *ſecundùm ueritatem quidem impoſſibile tantum differentia commenſurata fieri, ad opus autem conuenit ſufficienter; Vnum utique oportet eſſe, hoc autem ex poſitione; propter quòd, & numiſma uocatur, hoc enim omnia facit commenſurata, menſurantur enim omnia Numiſmate*. Amplius 1. *polit. cap. 6. Cùm a remotioribus quæreretur auxilium importando illa, quibus indigebant, & exportando illa, quibus abundabant; Ex neceſſitate nummi introductus eſt uſus, non enim faciliter deferri poſſunt ſingula ſingulis ad uitam neceſſaria; itaque ad permutationes faciendas, tale aliquid cōpoſuerunt inter ſe dare, & accipere, quod vtilium quippiam exiſtens vſum haberet commutandi facilem ad vitam, ceù ferrum, & argentum, & ſi quid aliud tale*. Itèm elegantiùs *I.C. in l. 1. ff. de contrah. empt. Olim non ita erat nummus, nec aliud merx, aliud pretium vocabatur, ſed vnuſquiſque ſecundùm neceſſitatem rerum, ac temporum vtilibus inutilia permutabat, quandò plerumquè euenit, vt quod alteri ſupereſt, alteri deſit: Sed quia non ſemper, aut facilè concurrebat, cùm tu haberes, quod ego deſiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia eſt, cuius*

G publica,

*publica, & perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubueniret.*

62 Sic igitur Numiſma, vt primum, & vniuerſale menſurat omnia permutabilia, non quidem ſecundùm proprias naturas, quod eſt impoſſibile, cum ſint primò diuerſa; ſed ſecundum rationem valoris relatiuè ad humanam indigentiam, quæ eſt vnica ratio commenſurationis. Non enim poteſt eſſe communicatio ſine commutatione, nec commutatio ſine adæquatione, nec adæquatio ſine commenſuratione, nec commenſuratio, ſine communi menſura, quæ eſt vna, vt forma menſurans, & hæc numiſma, & per ordinem ad vnum, vt efficientem commenſurationis, & hoc indigentia; ſicut enim doctiſſimè diſtinguit *Abulen. Gen. 23. Quando dicimus, quod Indigentia eſt menſura valoris, & Numiſma eſt menſura, non ſunt iſta duo menſuræ in eodem genere, ſed indigentia eſt menſura in genere cauſæ effectiuæ, quia dat valorem rebus, Numiſma autem eſt menſura formaliter, & non effectiuè; indigentia enim non eſt, per quam res valent, ſed quæ efficit res valere; Numiſma autem non efficit res valere, ſed eſt, quo res valent; non enim dicimus iſta res valet duabus indigentijs, ſed dicimus, iſta res valet duobus denarijs; iſte autem ablatiuus denotat cauſam formalem.* Vel etiam, vt pariter diſtinguit *Burid. quæſt. 16. cit. Duplex eſt menſura, quædam ſecundùm æquationem quantitatis, ſcilicet quando menſura poteſt æquari menſurato per ſui replicationem, & ſic vnitas eſt menſura numeri, & vncia ponderis, & dolium vini, & vlna panni, & de iſtis loquitur Ariſtotel. 10. Meth. Hæc enim eſt eiuſdem generis cùm menſurabilibus, & indiuiſibilis, aut ſimpliciter, aut ſecundùm ſenſum, aut ſecundùm inſtitutionem, vel aliquo tali modo; alia eſt menſura ſecundùm ſimilitudinem proportionis v. g. Sicut motum menſuramus ſpatio, vel tempore. Indigentia igitur humana menſurat commutabilia ſecundùm ſimilitudinem proportionis, non ſecundùm æquationem quantitatis, nàm ſecundùm quod plùs, vel minùs indigemus, ſecundùm hoc res eſt pluris, vel minoris valoris. Secundùm autem æquationem quantitatis valor rei commutabilis menſuratur per valorem, & indigentia per indigentiam, & tempus per tempus, & motus per motum, v. g. ſcito valore quarti vini poſſum per replicationem ſcire valorem dolij, & hominum indigentiam communem menſurabo, per indigentiam particularium.* Hæc eſt communiſſima diuiſio menſuræ in *homogeneam, & etherogeneam*, quam nullus ignorat.

63 Tandèm, quia vt latè oſtenſum eſt ſuprà *num.* 44. Numiſmatum quoque electa materia conſtantium pro varietate locorum, & tempo-

rum,

rum, infinitorumq. accidentium eadem, quæ cæterarum rerum, contingit variatio, & inæqualitas valoris; *Patitur quidem igitur, & hoc idem, non enim ſemper æquale poteſt; verùm vult manere magis* 5.*eth.cit.* Immò propter hoc nomen habet Numiſma, quod *non natura valet, ſed lege, & hominũ Inſtituto, & in nobis eſt ipſum mutare, & inutile facere;* quod etiam exemplo, & ratione oſtenditur 1.*polit.cit. Interdùm vtile quoddam videtur numiſma, & lex omninò, natura autem nihil, quoniàm mutatis vtentibus, nullo dignum, neque vtile ad aliquid neceſſarium, & Numiſmate diues multotiès indigebit neceſſario cibo; quemadmodùm, & Midam illum fame perijſſe fabulosè dicunt, propter inſatiabilitatem deſiderij, omnibus ſibi exhibitis aureis.* Vndè, & Plato ſapiens legiſlator lib.1. *de leg. Moneta, vel tempore, vel lege, voluntate, & moribus, vel augetur, vel minuitur.* Idemq. tradit *I.C in l. Ideò 4. ff. de eo quod certo loco. Pecuniarum quoque, licèt videatur vna, & eadem poteſtas vbique eſſe, tamen aliis locis faciliùs, & leuioribus vſuris inueniuntur, aliis locis difficiliùs, & grauioribus vſuris;* quod ſatis vbique experientia demonſtrat. Propterea numiſmata quoque neceſſe eſt in valore commenſurari, & adæquari, & valorem maiorum per valorem minorum, & vtrumque per minimum indiuiſibilem, & inuariabilem menſurari, & regulari, vt ſeruetur æqualitas. Sic enim proprijſſimè aſſeritur *eod.*5. *eth. Si autem non æquale eſt, neque manet communicatio. Nihil enim prohibet melius eſſe alterius opus, quàm alterius; oportet igitùr hæc vtique æquari.* Itèm, *Propter quod omnia comparata oportet aliqualitèr eſſe, quorum eſt commutatio ad quod numiſma venit, & fit aliqualitèr medium, omnia enim menſurat, quare, & ſuperabundantiam, & defectum.* Adhuc, *Oportet igitùr vno aliquo omnia menſurari. Vnum quid igitur eſſe oportet, hoc autem ex poſitione, propter quod, & numiſma vocatur.* Demùm *propter quod oportet omnia appretiari, ſic enim erit ſemper commutatio.* Id ipſum ſuprà plenè oſtenſum *num.*26.*& ſeq.* ſecùs nullius rei poſſet eſſe iuſtum pretium, vt benè expenditur *deciſ. granat.*12.*nu*,13. *Si nummus, vt materia res æſtimaret, nec vt nummus, ſed materia pretium conſtitueret, non poſſet æquale, & iuſtum eſſe, nàm inter metalla æris, argenti, & auri; vt in rebus omnibus, ſunt etiam bonitatis gradus; quæda excellentiora ſunt, quædam exiguioris qualitatis,* præter infinitas alias extrinſecas contingentias, quibus nummus variatur, vt oſtenſum eſt ſuprà.

Hinc commune axioma DD. quòd, *In pecunia vſus magis, & valutatio nunc expendibilis, quàm ipſa materia eſt reſpicienda, & ponderanda,* 64
vt per *dictam l.* 1. *ff. de contrab.* ibi, *vſum, dominiumq. non tàm ex ſub-*

*ſtantia præbet, quàm ex quantitate.* Itèm per *l. Labeo & Sabinus ff. de verb. ſignific. Bald. & DD. in l. quod te ff. ſi cert. petat. Panorm. & DD. in cap. Quanto de Iureiur.* & alij communitèr *in cap. Olim, & cap. Cùm Canon. de Cenſ.* vt latè in *tract. diu.* & diſertiſſimè in *dec. granat. 12.* ex communi quoque Theologorum, de quibus infrà *nu. 75.* Vndè *Butr. in d. cap. Quanto. Bonitas in pecunia reſpectu pecuniæ eſt ſolùm reſpectu vſus, & æſtimationis. Itèm materia pro nihilo eſt conſiderando pecuniam, vt pecuniam; appretiatio pecuniæ eſt bonitas eius. Bald. conſ. 213. nu. 2. vol. 5. Moneta in bonitate intrinſeca non eſt moneta, ſed extrinſeca, ideſt in æſtimatione, & valore ipſius Menoch. conſ. 49. nu. 39. Forma, & ſubſtancia monetæ in quantùm moneta eſt ipſe valor impoſitiuus, non autem ipſa materia.* Et in *dec. Granat. 12. nu. 19. Pecunia non conſideratur in Iure reſpectu materiæ, & metalli, ſed generaliter ex valore.* Similitèr loquuntur etiam Theologi, vt infrà *nu. 75.* qui proindè cum *Philoſ. 1. pol. cap. 6. & D. Thom. 22. quæſt. 78. art. 1.* diſtinguunt duplicem vſum pecuniæ, vti, & cæterarum rerum, licèt ordine conuerſo; vt enim dicitur *cap. cit. Cuiuſque rei, quæ poſſidetur duplex eſt vſus, vterque autem ſecundùm ſe, ſed non ſimiliter, ſed alter proprius, alter non proprius; ceù calcei quidem eſt calceatio, & commutatio, vterque enim vſus calcei eſt, nàm qui calceum indigenti vendit pro pecunia, vel cibo, vtitur calceo, quo calceus eſt, ſed non ſecundùm proprium vſum, non enim commutationis gratia factus eſt calceus.* E contrà verò de pecunia inquit *D. Thom. loc. cit. ad 6. Vſus principalis pecuniæ eſt diſtractio pecuniæ in commutationes,* & meliùs *quæſt. 13. de ma. art. 4. ad 15. Duplex vſus poteſt eſſe alicuius rei, vnus proprius, & principalis, alius ſecundarius, & communis, ſicut calceamenti proprius, & principalis vſus eſt calceatio, ſecundarius autem commutatio; pecuniæ autem è contrà principalis vſus eſt commutatio, propter hanc enim pecunia facta eſt; Secundarius autem vſus pecuniæ poteſt eſſe quicunque alius;* is ergò eſt vſus proprius, & formalis pecuniæ ſecundùm rationem pecuniæ, qui conſiſtit in publico valore, quem habet in ordine ad commutationes. Alter verò vſus improprius, & materialis, ſeù ſecundarius pecuniæ, eſt ſecundùm materiam ipſius, qui conſiſtit in qualitate, & pondere metalli, alijſq. accidentibus eiuſmodi materiam conſequentibus in ordine ad proprias, & ſpeciales vtilitates, vt ad cõflandum, ſculpendum, locò pignoris ponendum, & alia huiuſmodi; Sic etiam communiſſimè diſtinguunt *in tract. de Camb. & cùm Fabro. cap. 1. in dec. granat. 12. nu. 32.* Et quia vnumquodque dicitur eſſe id, quod eſt principale in ipſo, ideò in hoc ſenſu *Card. Tolet. lib. 5. cap. 34.*

*num.*

Digitized by Google

*num.* 2. & alij diſtinguendo inter pecuniam, & alias res, ait. *In pecunia pretium non diſtinguitur ab ipſa, ſicut pretium diſtinguitur ab aliis rebus*; quin immò in Iure pecunia venit nomine pretij, cætera verò nomine rei, & mercis, vt in *l.* 1. *ff. de contrah. empt.* ibi, *aliud merx, aliud pretium &c.* Itèm; quia, vt viſum eſt omnia commutabilia veniunt in commutationem ſecundùm pretium, ideò omnia appellatione pecuniæ intelligi decidit. *Vlpian. l.* 278. *ff. de uerb. ſignif. pecunia uerbum, non ſolùm numeratam pecuniam complectitur, uerum omnem omnino pecuniã; hoc eſt omnia corpora, nàm corpora quoque pecuniæ appellatione contineri nemo eſt qui ambigit.* Meliùs Hermogen. *l.* 222. *eod. tit. Pecunia nomine non ſolùm numerata pecunia, ſed omnes res, tàm ſoli, quàm mobiles, & tam corpora quàm Iura continentur.* Idemq. confirmat Philoſophus 4. *eth. in prin. Pecunias ea dicimus uniuerſa, quorum æſtimatio menſuratur nummo. D.T hom.* 22. *queſt.* 78. *art.* 2. *& q.* 100. *art.* 2. *Per pecuniam omne illud intelligitur, cuius pretium poteſt pecunia æſtimari.*

Conſtat igitur euidenter æqualitatem pretij eſſe formale obiectum, 65
& medium Iuſtitiæ in omni commutatione, ſiuè rerum, ſiuè pecuniarum de neceſſitate ſeruandum; hoc iuſtum vocatur 5. *eth. cit. Contrapaſſum ſecundùm proportionalitatem*, ſine quo non poteſt conſiſtere commutatio, nec Ciuitas, nec alia vllo modo humana ſocietas. Propter quod, vt dicitur *eod. loc. Oportet omnia appretiari, & adæquari, ſic enim erit ſemper commutatio*; Et quidem hoc formaliſſimè; & eminentiùs requiritur in pecunijs, quàm in rebus, cùm pretia rerum nõ menſurentur, & adæquentur, niſi per pretia pecuniarum. Propter quod autem vnumquodque tale, & illud magis. Iuſtum verò pretium, vt omnes fatentur tripliciter ſtatuitur, videlicet, aut Principis iuſſu, aut Populi conſenſu, aut pacto contrahentium; vel, vt loquitur *D. Thom.* 22. *q.* 57. *art.* 2. *publico Principis, aut Populi, aut priuato aliquorum condicto*; Vndè, & contrapaſſum ſecundùm proportionalitatem tripliciter iudicatur, vt notat auctoritate Tullij *Albert. Magn.* 5. *eth. cap.* 9. *eo quòd Contractus ad vnum iudicari non poteſt, ſed ad tria, ſicut dicit Tullius. Aliquandò enim diſponit Princeps pro communi vtilitate decernens, quid quanti vendendum ſit, quia aliter pro neceſſitate rei aliquandò nimis damnificarentur Ciues, ſicut tempore cariſtiæ decernitur, quod tanto, & non pluri vendatur modius frumenti. Aliquandò tales commutationes fiunt pacto interueniente, ſine omnis deceptionis fraude, & tunc pro re non datur æquiualens, ſed id quod pactum eſt; aliquandò diriguntur tales commutationes ad rei paritatem, vt æquiualens habeat, qui vendit ad hoc, quod*

*alius*

Digitized by Google

*alius emit. In his ergò conſiderationem habere oportet, vt Contrapaſſum iuſtum non ſemper ad idem determinetur, ſed aliquando ad par, aliquandò ad pactum, aliquandò verò ad iudicatum repatiatur.*

66 Differentia autem in hoc triplici iuſto, vt tradunt *DD. cùm D. Thom. q. 77. art. 1.* eſt quòd pretium conſtitutum pacto contrahentium immediatè ordinatur ad bonum priuatum ipſorum ſecundùm regulam indigentiæ ſpecialis, & dicitur pretium priuatum, ſeù arbitrarium, quia contrahentium arbitrio conſtituitur. Pretium verò Populi conſenſu receptum immediatè ordinatur ad bonum commune Contrahentium ſecundùm regulam indigentiæ communis; & dicitur pretium commune, ſeù naturale, quia dum communiter ſeù ab omnibus conſtituitur, quaſi naturali dictamine conſtitui videtur. Pretium autem iuſſu Principis taxatum immediatè ordinatur ad bonum commune Ciuitatis per Iuſtitiam legalem, & ſecundùm altiorem regulam indigentiæ generalis publici ſtatus, & dicitur legale, ſeù legitimum, ideſt lege poſitum. Cùm tamen commutationum introductio fuerit pro communi vtilitate, pretium iuſtum ſecundùm ſe, & abſolutè eſt pretium commune; vt aduertunt communiter Iuriſtæ in *l. pretia ff. ad l. falcid.* & Theologi cum *D. Thom. quæſt. cit. art. 1. & 4.* ſiuè ſit iuſſu Principis ordinatum, ſiuè tantùm permiſſum, & toleratum, quia tunc eidem acquieſcere videtur, per *gloſ.* quam ſummè cōmendant *DD. ad verbum frangere in fin. Eſtrau. de treu. & pac.* vt pleniùs infrà *num.* 142. Pretium verò priuatum ex pacto contrahentium, ſecundùm ſe quidem, & abſolutè non poteſt habere locum, nec iuſtum, & licitum eſſe, vbi commune pretium ſtatutum eſt, cui omninò ſtare oportet; per accidens tamen attenta ſpeciali indigentia vtriuſque contrahentis, vel vt ait D. Thom. vtilitate vnius, & detrimento alterius, poterit eſſe pretiū iuſtum, idq. communitèr dicitur damnum emergens, & lucrum ceſſans, de quo infrà *num.* 152. Vbi autem pretium commune ſtatutum non eſt, vel eſt incertum, & varium, vt in ijs rebus, quæ ad ornatum, & faſtum magis, quàm ad neceſſitatem quæruntur, vel etiam in quibuſcunque, quæ temporis variationi ſubiecta de futuro promittuntur, ibi abſolutè, & ſecundùm ſe locum habet pretium priuatum, nec aliter eſt pretium iuſtum, niſi ex conuentione partium, ſeruata tamen æqualitate, attentis laboribus, induſtrijs, & expenſis, copia, & raritate, & alijs huiuſmodi, in rebus primi generis; In ijs verò, quæ de futuro contrahuntur, attenta paritate periculi, tàm in exceſſu, quàm in defectu, vt omnes communiſſimè ſentiunt in *tract. de vſur.* & expreſsè

defi-

definitur *in cap. naviganti eod. tit.* ibi. *Qui dat 10. ſolidos, vt alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur, quæ licèt tunc plus valeant, vtrùm plus, vel minus ſolutionis tempore fuerint valituræ, veroſimiliter dubitatur, non debet ex hoc vſurarius reputari. Si ergò certũ eſſet, quòd tempore ſolutionis plus valerent, vſurarius eſſet. gloſ. ad illud verbum dubitatur*, quòd etiam expreſsè ſtatuitur in *cap. in Ciuitate*, ibi. *Peccatum incurrunt niſi dubium eſſet, eas plus, minuſvè tempore ſolutionis valituras*; & in hoc omnes DD. conueniunt.

Vndè patet, quòd Ius, ſeù Iuſtum commutatiuum, quod eſt obiectum formale, ſeù medium Iuſtitiæ, & forma omnium commutationũ, nihil aliud eſt, vt 5. *Eth.* dicitur, quàm *Contrapaſſum ſecundùm proportionalitatem*, ideſt, *pretij æqualitatem* ſecundùm regulam publicæ approbationis, vel priuatæ conuentionis, vt plenè etiam probat *Valent. 22. diſp. 5. quæſt. 5. punct. 1.* Nec eſt contrà id, quod *eod. 5. eth.* traditur in diſcrimen Iuſtitiæ commutatiuæ à diſtributiua, quòd ſcilicèt in diſtributiua Iuſtitia medium accipiatur ſecundùm Geometricam proportionalitatem, quæ conſiſtit in æqualitate proportionis: In commutatiua verò ſecundùm Aritmeticam, quæ conſiſtit in æqualitate quantitatis, nàm ſicut ibi etiam cùm Philoſopho ſubdit *D. Tho. lect. 8. Verùm quidem eſt, quòd circa iuſtitiam commutatiuam ſemper oportet eſſe æqualitatem rei ad rem, ſed in hoc oportet adhiberi proportionalitatem, ad hoc, quòd fiat æqualitas rerum, nihil enim prohibet meliùs eſſe vnius opus, quàm alterius. In rependendo autem ſecundùm proportionem conſiſtit Ciuitas.* Si tamen ageretur de rebus eiuſdem ſpeciei, & bonitatis, vt *nu. ſeq.* videbimus; tunc abſolutè attendi poſſet æqualitas rerum in propria quantitate, vt pondere, numero, & menſura, & Contrapaſſum magis eſſet ſecundùm rei æqualitatem, quàm ſecundùm pretij proportionalitatem; vnde & 7. *Moral. Eud. cap. 12. In communicationibus, interdum numero, interdum proportione æquale poſtulatur.* 67

## Principium Generale Iuris Contractus Pecuniarij, eiuſquè ſolutionis.

HInc ergò communiſſimum, & principale principium Iuris in commutatiua Iuſtitia eſt, omnem Contractum pecuniariũ, tàm monetæ genericæ, quæ purè pretium deſignat, quàm monetæ ſpecificæ, quæ etiam materiam concernit, ſecundùm pretium commune intelligendum eſſe, & conſiderandum, & ad eius æqualitatem reducendum, 68

Digitized by Google

dum, & regulandum; niſi aliud expreſſa, & iuſta conuentione diſponatur.

69 In hoc primo principio nituntur omnia Iura, & DD. vbicunque de hoc Iuſto commutatiuo loquuntur. In eo nititur Imp. Iuſtinian. *in l. receptitia C. de conſtit. pecun.* decernens omnes res in pecuniam, & omnem pecuniam in res conuerti poſſe; & in *l. ſi quis argentum in princ. C. de donat.* decernens pro maſſa, & pondere ſolui poſſe æſtimationẽ, quæ in loco frequentatur. In eodem nititur *I.C.* idem decidens de auro, & argento legato, *l. 1 ff. de aur. & arg. legat.* ibi, *Pecuniam numeratam dando ipſo Iure liberatur, ſi in ea pecunia eadem æſtimatio fuerit*, & *l. cum certum eod. tit.*, *Sed pretium præſentis temporis præſtari debet, etiã ære contaminatum gloſ. ibid.* Idem *l. Titia eod. tit. Paulus reſpondit, aut aurum ei præſtari oportere, aut pretium auri quanti comparari poteſt.*

70 In eodem principio nituntur Summ. Pont. Innoc. III. *in cap. Olim*, mandans æſtimationem melioris monetæ ſolui poſſe in viliori, ibi, *vel æſtimationem eorum*, & è contra æſtimationem vilioris in meliori Greg. IX. in *Cap. Cum Canon. de Cenſ.* ibi, *Aeſtimatione penſionis antiquæ*. In eodemq. principio naturaliter nituntur omnes Gentes in generaliſſima Conſuetudine ſoluendi vnam monetam pro alia, auream pro argentea, puram pro mixta, & è contra ad dictam pretij æqualitatem, niſi aliud obſtet, vt vbique fatentur *DD. in d. Iur.* & cùm *Bart. in l. Paul. ff. de ſolut.*, & latiſſimè in *tract. din. & extrà*, vt infrà videbimus *num.* 116.

71 In eodem principio nituntur omnes DD. Iuriſtæ, Canoniſtæ, & Theologi in communiſſima diſtinctione obligationis ad genus, ad ſpeciem per modum generis, & ad ſpeciem per modum ſpeciei; aſſerentes in prima, ſolutionem fieri poſſe in omni proba, & currẽti moneta, ſecundùm communem æſtimationem, & valorem currentem tempore ſolutionis. In ſecunda ſolùm addentes, quòd ſolutio non fiat in inferiori moneta à ſpecie præſcripta, quo dempto, ſufficiat in eadem, vel æquiualenti ſpecie ſoluere ſummam æſtimationis contentam in Contractu, in pecunia numerata ad communem æſtimationem, & valorem currentem tempore ſolutionis. In tertia verò, quæ eſt cùm pactum expreſſum fit de certa ſpecie in certa quantitate, & numero ſoluenda, pactum eſſe ad vnguem obſeruandum, eamq. ſpeciem in deſtinata quantitate, & numero ſoluendam, neutrius temporis valore reſpecto, quatenùs quantitatis, & numeri tantùm facienda eſt conſideratio, vel etiam, quod æquipollet, vtriuſque temporis valore reſpecto, quate-

Digitized by Google

quatenùs in toto valore currente ſoluenda eſt ſpecies debita, & in eadem quantitate numeranda, qua tempore contractus, ac ſi adhùc ſub eodem valore maneret, vt latiùs infrà demonſtrabimus.

In eodem etiam principio nituntur *I. V. DD. tit. de ſolut. & vſur. & Theologi eod. tract.* diſtinguendo inter mutuum pecuniæ, & aliarum rerum; quòd licèt in vtroque reddendum ſit, *aliud eiuſdem naturæ, & qualitatis*, vt loquitur *Iuſtin. lib. 3. Inſtit. tit. quib. mo. re contrah. oblig.* vel *eiuſdem generis, & bonitatis*, vt loquitur *Pompon. in l. 3. ff. de reb. cred.* Genus enim apud legiſtas eſt ſpecies apud Philoſophos, vt exponit *Bald. in l. mutuum* §. *mutui datio nu. 1. ff. ſi cert. petat.* vel vt formaliùs loquuntur Theologi in diffinitione mutui, *ſimile in ſpecie, & bonitate*; non tamen ſimilitèr in vtroque tantundem etiam in quantitate, ſeu pondere, numero, & menſura reddendum, ſi mutui valor, ſeù pretium mutetur. Sed in pecunia, ſi valor eius auctus, aut diminutus ſit, tantundem in valore reddendum, non autem in quantitate, niſi aliud in pactum deductum fuerit. In alijs verò rebus, ſiuè valor earum auctus, ſiuè diminutus ſit, tantundem in quantitate reddendum, non autem in valore. Rationem diſcriminis aſſerentes, quòd cùm vſus proprius, & primarius pecuniæ ſit eſſe pretium rerum; vſus verò proprius, & primarius rerum ſit naturalis cuiuſque vtilitas diſtincta à pretio; Qualitas autem, ſeù bonitas cuiuſque conſiſtat in proprio, & primario eius vſu; immò natura ipſa, & ſpecies eorum, quæ ordinantur ad aliud menſuretur per ordinem ad illud, ad quod ordinantur; Ideò in mutuo pecuniæ, vt ſimile in ſpecie, & bonitate reddatur, tantundem in pretio, non autem in quantitate reddendum; In mutuo autem aliarum rerum, vt paritèr ſimile in ſpecie, & bonitate reddatur, tantundem in quantitate, non autem in pretio reddendum. Idem enim eſt mutari pretium in pecunia, quod eſt eius natura, ſpecies, & bonitas, ac mutari naturam, ſpeciem, & bonitatem in alijs rebus, vt cùm vinum mutatur in acetum. Vndè ſicut vino mutato in acetum, non poteſt pro mutuo vini reddi acetum, etiam ſi ſit illud idem materialiter, quod datum fuit. Ità, nec mutato pretio poteſt reddi eadem pecunia, niſi ad æqualitatem proportionis, addito, vel ſubtracto in quantitate, quod ſupereſt, aut deeſt in pretio. Item cùm pecunia in ratione pecuniæ ſit in genere pretij eius quantitas in quãtum huiuſmodi menſuratur pretio, modo, quo ſuprà oſtenſum eſt. Quantitas verò aliarum rerum menſuratur alijs menſuris, vt liquida vrnis, arida modijs, grauia libris, extenſa vlnis, & ſimilibus. Ideò, ſicut mutata vrna, non poteſt ad 72

nouæ rationem reddi eadem quantitas vini, nec mutato modio quantitas tritici, mutata librâ quantitas croci, mutata vlna quantitas panni; ſed tantundem in quantitate addendum, aut detrahendum, quantum noua menſura maior, aut minor facta eſt veteri. Ità mutato pretio non poteſt reddi eadem quantitas pecuniæ in numero, ſed tantundem addendum, aut detrahendûm, quantum in pretio currente adæquet pretium contractus. Sic elegantiùs præ cæteris explicant *Abulen. ſuper Math. cap.* 25 *q.* 167. *& ſeqq. Bannes q.* 78. *art.* 4. *diſput. vlt. dub.* 6. *& Filiucc. tom.* 2. *tract.* 34. *par.* 2. *cap.* 3. *nu.* 55. *& ſeqq.* & ex Iuriſtis elegantiſſimè *Bald. in l. mutuum* §. *mutui datio ff. ſi cert. petat.* & de communi *Menoch. conſ.* 49. *nu.* 45.

73 Præterea ex eodem principio de mutuo quocumque cum conditione, vt in loco, in quo plus valet, vel tempore, quo plus valiturum eſt reddatur, non poſſe eſſe ſine iniuſtitia, & labe vſuræ, omnes vno ore fatentur, *& in cap. Nauiganti, & in Ciuitate de vſur.* expreſsè habetur, niſi aliàs aliquo iuſto titulo ſaluetur; vt, quòd eò loci rem tranſlaturus erat, eò temporis ſeruaturus, aut aliquod lucrum ceſſet, aut damnum emergat, quæ omnia in tali caſu rectè regulari, & iuſtificari debent, computatis expenſis, laboribus, & periculis, vt videbimus *nu.* 152. nè alioquin vſura palietur, & oculus ſit ad pretium, & ſpes ad lucrum immediatè proueniens ex mutuo, quod omni Iure ciuili, naturali, & diuino damnatur; Nihil tamen prohibet ex eodem principio, cùm pecunia quoque habeat alios ſecundarios vſus diſtinctos à pretio, ſecundùm eoſdem in eadem, vel æquiualenti quantitate, & numero etiam cùm lucro vendi, permutari, & locari, vt paritèr omnes conueniunt cum D. Thoma *q.* 58. *art.* 1. *ad* 6. ibi, *Similiter poteſt eſſe aliquis ſecundarius vſus pecuniæ argenteæ, vt puta, ſi quis concederet pecuniam ſignatam ad oſtentationem, vel ad ponendũ loco pignoris, & talem vſum pecuniæ licitè homo vendere poteſt.* Idemq. in Cambijs eſt manifeſtũ Quorũ omnium prima, & immediata ratio eſt ſuprà relata *Phil.* 5. *ethic.* Quia, vt ſit cõmutatio debet eſſe adæquatio, quæ vt ſit debet eſſe commenſuratio, hæc autẽ in rebus quidẽ eiuſdem naturæ, & qualitatis poteſt fieri ſecundùm res ipſas, vt in mutuis patet; ſed in rebus diuerſæ naturæ, & qualitatis non poteſt fieri niſi ſecundùm pretium, in quo omnia commutabilia ſecundùm omnes vſus, eorumque differentias, & circumſtancias perfectiſſimè adæquantur; vt proinde omnis eorum contractus præſertim pecuniarius ex natura ſua ſit ſecundùm pretiũ intelligẽdus; & cõſiderandus, nec niſi ſpeciali pacto ad aliud reducendus.

Ità

Digitized by Google

Ità in terminis V.I.DD. *Bart.& DD. in l. Paulus ff. de ſolut. in fine*, 74
vbi, *Si non ſit dictum in eadem æſtimatione puto, quòd debeant reddi in æſtimatione communi, quæ eſſet tempore, quo debet fieri ſolutio.* Quam *Bart.* Doctrinam communi omnium ſententia probatam refert *Couarr. de vet. num. col. concl.* 8. *Obligatio ſoluendi certam quantitatem in certa nummorum ſpecie, nulla conſtituta illorum æſtimatione, intelligenda eſt, vt illa quantitas ſoluatur in nummis deſignatis ſub incerto numero iuxtà eam æſtimationem, quæ viget tempore ſolutionis. Ita Bart. l. Paulus in fin. Cuius opinio communi omnium ſententia probata videtur.* Idem de communi DD. mente cenſendum, dum mutationem extrinſecam monetæ ad commodum, & incommodum debitoris facere conueniunt; Sic etiam teſtatur *Menoch. conſ.* 49. *nu.* 45. *Communis ſententia ſe habet, quòd ſi ante moram monetæ valor extrinſecus augetur vel minuitur, totum ſit ad commodum, & detrimentum debitoris, vt putà ſi decem ab hinc annis mutuaui tibi centum Coronatos, & eo tempore Coronatus valebat octo florenos, & nunc tempore reſtitutionis valet nouem, tu poteris deducere centum florenos, & ità teneris ſolùm reſtituere Coronatos 89. vno floreno minus. Et è contrà ſi eo tempore Coronatus valuiſſet 9. florenos, & hodie valet octo, teneris reſtituere Coronatos 100. & 100. florenos.* Aduertendum, quòd vbi legitur, *debitoris*, textus corruptus habet, *creditoris*, cui non coheret, quod ſequitur; quamuis etiam eo loci, *debitoris*, & *creditoris*, poſſint intelligi æquipollere, proùt commodum, & detrimentum vtriuſque videntur correlatiua, cùm quo vnus gaudet, alter careat; tamen prior modus loquendi eſt aptior, & DD. communior. Vndè *Surd. conſ.* 335. *nu.* 7. *Vbi mutatur monetæ valor extrinſecus non autem intrinſecus, tunc tempus ſolutionis attenditur non autem diſpoſitionis, & ſiue creſcat, ſiue minuatur id cedit damno, & commodo debitoris.* Idem pariter de communi DD. mente cenſendum, dum quantitatem in genere ſtipulanti æſtimationem in currente moneta ſoluendam omnes concorditer fatentur. Sic doctiſſimè *Bald. in l. mutuum* 2. *§. mutui datio ff. ſi cert. pet.* vbi *nu.* 7. *An poteſt reddi numerus pro numero in diuerſa materia, putà tot ſolidi quot valet vnus florenus pro vno floreno? Concedo per l. quæ extrinſecus ff. de verb. oblig. Non obeſt quòd ſit diuerſum genus materiæ, quia reſpondeo, quòd reputatur eſſe idem, quia omnis quantitas eſt ſub genere eorum, quæ in numero conſiſtunt, vndè numerus, & genus complectitur quantitatem cuiuslibet materiæ, & formæ, & ſufficit ſola conuenientia in genere, nec in nummis conſideratur qualitas intrinſeca, ſed valor; & in quantitate eſt ſpeciale, vt non conſideretur iſta bonitas, ſed ſola*

*æquiualentia.* Quid autem ſit quantitas in genere, vel in ſpecie, eſponit cũ *Bald. Faber de mo. cap. 2. Qui pecuniã ſimpliciter debet ſit quidẽ debitor generis, etiam ſi æſtimata non ſit, quia ex ſua natura ſatis ſuperque à lege æſtimata intelligitur, vt de rebus omnibus in pondere, & numero, vel menſura conſiſtentibus Bald. ſcribit ad l. res in dotem 42. ff. eod. ſed ſi obligatus ſit, vt eaſdem ſpecies reſtituat, quas alioqui reſtituere non tenetur, ſit debitor ſpeciei non generis.* Sic etiam in praxi decidendo, exponitur in *deciſ. granat. d. 12. nu. 19. De eſſentia monetæ eſt non ad materiam referri, ſed ad formam, & cùm hac ſolùm conſideretur, in genere ſuo functionem recipit, & debitor pecuniæ, non ſpeciei metalli, aut materiæ cuius promiſſa, ſed quantitatis, & generis debitor exiſtimatur reſpectu æſtimationis publicæ.* Idem in caſu augmenti communi obſeruantia Regnorum Hiſpaniæ comprobatur *d. 13. nu. 25. Et ità annis præteritis ſolutiones communitèr omnium conſenſu factæ fuerunt.* Atque ad hunc ſenſum generis, & ſpeciei omnes DD. conciliantur *d. 22. num. 7. Quantitatis pretium, & æſtimatio per quodcunque genus pecuniæ poteſt diuagari, & quibuslibet penſari nummis, tamen quando ex omnibus pecuniæ ſpeciebus, certa quædam à contrahentibus deſtinatur, & ad eam conuentio coarctatur, nefas eſt vltrà eam progredi, nec tunc ſolum de quantitate, aut æſtimatione paciſcitur, ſed relata ad certam materiam, qua pacto comprehenditur, & eſt omnium concors ſententia.* Horũm etiam manifeſtum experimentum vbique habemus in Cambijs, qualẽmlibet monetam in quamlibet curſum habentem ad dictam æqualitatem commutantes, plus, minuſue in numero, vel pondere prò varietate locorũ ad æqualitatis commenſurationem deducentes, cùm in ea ſita ſit Cambiorum eſſentia, ac per eam, & non aliter intrà legem Iuſtitiæ contineantur, vt communiſſimè nullo diſcrepante *DD. in tract. de Camb.* in quo exactiſſimè ſimul, & diſertiſſimè poſt omnes *Sigiſmund. Scacc.* id paſsim cõfirmat, & elegantèr *§. 6. gloſ. 1. nu. 41. cum Med. & alijs* hanc dati, & accepti æqualitatem eſſe de natura Contractus, & in negotiatione ſedem, & fundamentum Iuſtitiæ commutatiuæ, eamque ſeruandam, vt Contractus pecuniarum ſit iuſtus, ſiuè ſit permutatio, ſiuè cambium, ſiuè mutuum, excepto, niſi aliqua iuſta cauſa, quæ inæqualitatem excuſet interueniat; & per hoc facillimũ eſſe de omnibus Cambijs iudicare, an ſint licita, an vſuraria, an iniuſta; hincque quandò in aliquo Contractu dubitaretur de eius Iuſtitia, & nulla extaret lex, quæ modum præſcriberet, recurrendum eſſe ad hanc dati, & accepti æqualitatem, quia niſi æqua eſſet compenſatio; mox iniuſtitiæ ſuſpitio occurre-

Digitized by Google

curreret, cùm in emptione iuſta tanti debeat valere merx, quanti pretium pro ea datum, & tanti vſus rei locatæ, quanti penſio pro ea ſoluenda, & tanti equus dandus pro mula, quanti mula danda pro equo, & conſequenter in commutatione pecuniæ, tanti valere debeat pecunia danda, quanti accipienda, *ad quam ſolam* ſubijcit *nu.* 75. *Contractus æqualitatem, & proportionatam commutationem, tanquam ad ſidus reſpicere debemus, dum per hoc Cõmerciorũ mare nauigamus*; quod quidẽ ſemper intelligendum præſcindendo à quocunque legitimo pacto, in quo etiam, vt videbimus *nu.* 152. Iuſtitia ſecundùm rationem æqualitatis commenſuranda. Sic etiam ad hunc intellectum Iura concordant *l. ſi cui* 94. §. 1. *ff. de ſolut.* ibi, *In pecunia non corpora cogitet, ſed quantitatem*, & *l. cum certum* 10. *de aur. & arg. legat. ſi non ſpecies deſignata ſit, non materia, ſed pretium*; & eſt communiſſima diſtinctio DD. vt latiùs in ſequentibus conſtabit.

Sic etiam vniformiter reſoluunt Theologi omnes. *S. Tho.* 5. *eth. cit.* & plenè 2. 2. *q.* 57. *&* 78. Item *in* 3. *diſt.* 37. *in exp. tex. Si fiat commenſuratio dati, & accepti ad valorem pecuniæ, erit æqualis commutatio; & quodl.* 2. *art.* 10. *Iuſta commutatio eſt, quando pretium acceptum æquatur pretio dato, iniuſta autem ſi non æquetur, ſed plus accipiatur*, & *q.* 2. *de ma. ar.* 4. *ad vlt. Propter mutabilitatem naturę humanæ, & diuerſas conditiones hominum, & rerum; ſecundùm diuerſitatem locorum, & temporum ſemper eſt iuſtum, quòd in emptione, & venditione fiat commutatio ſecundùm æquiualens; & op.* 73. *cap.* 19. *Sicut in mutuis non eſt neceſſe, quòd idem numero reddatur, ſed tantùm æquale in pretio, ità nec ſuperabundantia accepta ratione mutui eſt neceſſe idem reſtituere, ſed æquiualens in pretio.* Sequuntur D. Thom. cæteri Theologi *Caiet.* 22. *loc. cit.* & in ſumma *ad verb. Camb.* vbi de moneta cùm augmento valoris pro tempore reddenda ait. *Cum temporis quo pecunia occupata tenetur, ratio habetur, ad eum vſuræ modum digreditur, quo tempus vendi dicitur.* Sotus *lib.* 6. *de Iuſt. q.* 12. *art.* 2. Regulam generalem attendendi in Contractibus ad valorem, non ad numerum monetarum exemplificans; *Si quando à me mutuatus es ducatum, non valebat, niſi Regalia* 11. *& poſt ad* 12. *eius æſtimatio aucta eſt, non debes ducatum integrum, ſed* 11. *argentea Regalia*. Idem de communi *Silueſt. verb. ſolut. nu.* 2. *dico concludendo mentem DD. quòd ſi mutuaui centũ libras in florenis; ſatis eſt reſtitui* 100. *libras etiam in alia moneta; Si verò ſit dictum mutuo, vel depono* 100. *libras in florenis, volo reſtitutionem mihi fieri in florenis, tunc periculum, & commodum diminutionis, & augmenti pertinet ad debitorem, ſeu depoſitarium* 75

Google

*tarium; vndè tenetur reſtituere in florenis ſecundùm aſtimationem communem tempore ſolutionis. Medin.C.de reſtit. q. vlt.in fi. Tunc aqualitas ſeruatur, quandò tantum eſt datum, quantum acceptum in valore*, idemq. exemplificat in ducatis; & regalibus ſecundùm prædictum principiũ regulans omnes contractus; Eadem regula vtitur etiam *Nauarr. in ſumm.cap.17.nu.287. In omnibus commercijs, & contractibus iuſtitiæ commutatiua eſt ſeruanda æqualitas, ità quòd tanti valeat acceptum, quanti datum, & conſequenter in commutatione pecunia tanti debet valere danda, quanti accipienda.*Idem aſſerit *lib.3.conſ.2.de empt.& vend.* Communem ſententiam dicit alter Nauar.*lib.3.de reſtit.cap.2.n.259. Si ego mutuo do mille aureos, dum æſtimantur 13. argenteis ob inopiam auri, tenetur debitor quandò æſtimabuntur 11. argenteis addere pluſquàm mille, vt omnes fatentur. Tolet.lib.5. Inſtr. cap. 34. nu. 2. Si aliquis mutuat alteri 100.aureos valutatos 11.iulios, & poſt Rex, vel Princeps auget valorem aurei vſque ad 14. non tenetur iſte dare centum aureos; ſed illos, qui adæquent valorem 100. vndecim iuliorum.* Rebell.communem DD. refert *part.2.lib.11.q.15.num.11. quandò nullum pactum tacitum, vel expreſſum intercedit circà incrementum, vel decrementum, & contra eſt obligatio ſoluendi certam pecuniæ quantitatem in certa nummiorum ſpecie, v. g. in ducatis, vel regalibus argenteis, facienda erit ſolutio deſignatæ quantitatis in eiſdem nummis expreſſis nominatim ſub incerto numero, æſtimatis tamen ſecundùm eam æſtimationem, quæ currit tempore ſolutionis. v.g. Mutuaui tibi quatuor mille quadrantes, qui nunc decem ducatis æſtimantur ea lege, vt in ducatis ſolutionem faceres, ſi ducati antè ſolutionem ſub duplo minus per legem valeant, non ſatisfacies, niſi reddendo 20. ducatos. Si verò duplo quoad valorem augeantur, ſatisfacies quinque dumtaxat reddendo, cum tantum valeant quinque tempore ſolutionis, quantum tempore contractus 10. valebant.* Idem pleniùs, & communi Hiſpaniarum vſu confirmat Molin. *tom.2.diſp.312.vbi nu.3. Sic in omnibus contractibus ſoluendus eſt valor, etiam ſi pecunia ſoluenda eſſet in materia, & forma, in qua data fuit, quia tamen potiſſimum data eſt mutuo quoad valorem, potiùs habenda eſt ratio in ſolutione valoris, quàm numeri pecuniarum, quæ data ſunt. Quò fit. vt ſi pecunia in valore accreſcat, tot numero pecuniæ illius materiæ, & formę detrahenda ſint in ſolutione, quos detrahere oportet, vt valor ſolutionis valori mutui æquetur. Sicut è contrà, ſi in valore decreſcat, tot ſunt addendæ, quot ad valorem æquandum ſunt neceſſaria.* Et concl.2. *Eſto in mutui contractu, & quouis alio exprimeretur, vt debitum in pecuniis certa materia, & figuræ ſolueretur, ſi accreſceret,*

aut

Digitized by Google

*aut decreſceret quoad valorem, ſoluendus eſſet ad æqualitatem valor antiquus in nummis illius rationis detracto, aut addito ex eis quantum neceſſe eſſet, vt valor ad æqualitatem perſolueretur. Excipe quando ex verbis contractus pactum expreſſe colligeretur ſoluendum eſſe eundem numerum monetarum, nec plus, nec minus. In mutuis enim, & aliis contractibus potiſſimùm habetur ratio quantitatis valoris, appoſitio autem illa, vt talis pecunia ſoluatur fieri ſolet, nè in viliori ſoluatur debitum; & quæ multùm oneret. Principale argumentum indè aſſumitur. Etenim ſi valor pecuniæ acceptæ decreuiſſet, non ideò minus valoris eſſet ſoluendum mutuanti; quandoquidem valor ille non periit, quo tempore erat Mutuantis, ſed Mutuatarÿ; valor autem rei Domino perit. Ergò pari ratione, ſi valor pecuniæ accreuerit, accreſcit Mutuatario, ac proindè non plus valoris reddendum eſt, quàm fuerit acceptum. Confirmat hoc vniuerſaliter Hiſpaniarum vſus, vbi in debitis perſoluendis ſolùm habetur ratio valoris, non verò numeri monetarum.* Communem omnium dicit etiam Valent. 22. *diſput.* 5. *q.* 5. *pun.* 1. *Conuenit inter omnes æqualitatem, tùm Geometricam, quàm reſpicit iuſtitia diſtributiua, tùm Arithmeticam, quam reſpicit iuſtitia commutatiua, non eſſe metiendam propriè ex naturis, vel naturalibus accidentibus rerum, vt ex qualitatibus, ex magnitudine, numero &c. ſed ex æſtimatione hominum.* Idem repetit *q.* 23. *punct.* 2. Ex quo infert. *Ergò, etſi quantitas, & natura metalli pecuniarum ſit eadem, tamen ſi æſtimatio ſit inæqualis, violabitur æqualitas iuſtitiæ tantùndem pecuniæ accipiendo. Item ſequitur, falſum eſſe, licitum eſſe recipere eundem coronatum eiuſdem quantitatis, & ponderis tempore, quo pretium eius eſt auctum, & eſt maius, quàm quando acceptus eſt mutuo.* Leſſius *lib.* 2. *de Iuſt. cap.* 20. *dub.* 17. *num.* 151. *In nummis non ſpectatur niſi pretium. Vndè non debet reſtitui niſi pretium æquale, vt ſi mutuo tibi* 100. *aureos, dum ſinguli valent* 12. *regalibus, & poſtea decreſcat pretium eorum ad* 11. *non ſatisfacis ſi mihi reſtituas idem pondus auri, ſed maius dare debes.* Filliucc. *tract.* 34. *p.* 2. *cap.* 3. *num.* 56. *Vniuerſaliter in omnibus contractibus ſoluendus eſt valor pecuniæ tempore contractus, modò expreſſum non ſit ſoluatur ſub tali materia, vel ſpecie. Ratio eſt, quia pecunia, niſi aliud addatur, debet ſumi formaliter ſecundùm valorem, & pretium; dixi tempore Contractus, quia is eſt, quem intendunt contrahentes ſine dubio.* Et communem Legiſtarum, & Canoniſt. referens. *num.* 57. *In mutuo, ſi non eſt expreſſum, ſub qua materia pecunia reddenda ſit poteſt reddi in quacunque placuerit debitori modò ſit idem valor. Silu. Med. Sot. Couarr. Nauarr. &c. Vndè ſiquis mutuo recepit mille aureos, dum æſtimantur tredecim iuliis, tenebitur quando æſtimaren-*

*marentur duodecim iuliis, reddere centum ſuprà mille aureos, è contra ſi recepit mille aureos, quando æſtimabantur* 12. *iuliis, poſteà æſtimarentur tredecim, non teneretur reddere niſi* 900. Bannes *q.*78.*cit.art.*4. *diſp. vlt. dub.*6. *concl.*3. *Contractam pecuniam eandem, vel ſimilem exigere quando Princeps auxit pretium illius iniquum eſt; v.g. Petrus mutuauit Paulo centum ſcuta, quorum ſingula valebant* 400. *dipondia, poſtea verò contigit; vt tempore ſolutionis Princeps auxit pretium ſcuti vſque ad* 12. *argenteos, dicimus, quòd tunc Petrus non poteſt exigere à Paulo* 100. *ſcuta, ſed tantùm* 98. Salon.de *iuſt.& iur. q.*4 *de Camb. nu.*2. *Pecuniæ mutato illarum valore, & pretio, quamuis maneant eædem materialiter, non tamen formaliter, quatenùs pecuniæ ſunt, & ſecundùm propriam, ac eſſentialem rationem pecuniæ, quo fit, vt non oporteat reſtituere eandem pecuniam, ideſt in eodem pretio, & valore, quando ille auctus eſt.* Pirrus in *Specul.diſp.*16.*q.*58.*Pecunia, vt pecunia cum ſit pretium rerum mutatur, mutato illius valore, & æſtimatione; Vndè non debet reſtitui, niſi pretium æquale.* Megal. 22.*lib.*2.*cap.*14.*nu.*21. *Pecuniæ intrinſeca bonitas magis conſideratur reſpectu valoris, quàm reſpectu materiæ, quamobrem reſtituenda eſt iuxtà valorem, quem habet tempore ſolutionis, ità vt ſolus valor pecuniæ mutuatæ reſtituatur, & vt illi creſcat, & decreſcat, in cuius dominio eſt quando creſcit, & decreſcit, niſi expreſsè actum ſit, vt mutuum reſtituatur in nummis eiuſdem materiæ, & figuræ.* Idem Fernandez *par.*1. *cap.*15.*§.*1. *num.*15. Paul. de Blanch. *diſp.*1. *l. C. caſ.*3. *concl.*2. & alij. Communem etiam ſententiam dicit Turrian. *tom.*2. *diſp.* 61. *dub.* 7. & ſub hac diſtinctione conciliat Iuriſtas cum Theologis *Lopez* 2.*par. cap.* 67. *quæſt.* 2. Eandem concordiam approbat cum *Rebell. Laym. loc. cit. nu.*15. Sententiam confirmans conſuetudine Imperij, *ſecundùm quam,* inquit, *creſcentibus monetis ſecundùm valorem extrinſecum tantùm, debita pecuniaria omnia minore monetarum numero ſoluuntur. Quomodò Imp. Ferd.I. Anno Domini* 1559. *in Comitijs Auguſtæ florenum aureum auxit, & poteſtatem fecit debitoribus, eo valore auctiore debita ſua diſſoluendi.* Vndè optimè poſt omnes concludit etiam Bonacc. *de contract. diſp.*3. *q.*3.*punct.*3. *nu.* 21. *Contractum conſiderandum eſſe iuxtà valorem, modò aliud non deducatur in pactum, & nu.* 22. *Hinc ſequitur, quando poſt mutuum datum æſtimatio pecuniæ creſcit, mutuum reſtituendum eſſe iuxtà valorem, quem habet pecunia tempore ſolutionis, itaut tanta pecunia quoad valorem reſtituatur, quanta reſpondet valori pecuniæ acceptæ, alioquin magna ſequeretur inæqualitas.* Et meliùs *nu.* 24. *Rogabis, vtrùm contractus conſiderandus ſit iuxtà valorem, an iuxtà quantitatem, quando quis*
*mutua*

Digitized by Google

*mutuat alteri pecuniam hac conditione, vt in eadem materia, & forma ſibi reſtituatur. Reſpondeo conſiderandum eſſe iuxtà valorem, ſi valor non fuit excluſus. Ratio eſt, quia modus ille, quo fuit celebratus contractus hoc operatur, vt ſolutio fiat in eadem ſpecie pecunia, & ne mutetur metallum, non verò ne mutetur numerus. Et hoc modo ſeruatur æqualitas, nam ſi valor monetæ decreſcat, decreſcit in damnum mutuatarii, qui tenetur reſtituere iuxtà valorem, non iuxtà numerum, aucto numero, Ergò pari ratione, ſi valor monetæ augeatur, tenetur ſolùm reſtituere iuxtà valorem, non iuxtà quantitatem, & numerum; Conſequenter contractus conſiderandus eſt iuxtà valorem, ſi valor non fuit excluſus.* Hæc omnia ex prima origine nominum *damni, & lucri* comprobat cum *Philoſopho Albert. 5. eth. cap. 7. Nomina hæc, quæ dicimus damnum, & lucrum generaliter ſecundùm primam originem venerunt ex voluntaria commutatione; plus quidem hàbere, quàm ſit valor rei, quæ ſui ipſius eſt, dicitur vltra debitum lucrari; Minus autem habere in valore his, quæ ex principio fuerunt antè commutationem, vocatur damnificari, ſicut eſt videre in vendere, & emere, & in quantiſcunque alijs lex cedit licentiam commutandi, ſicut in fideiuſſione, locatione, vſu, depoſitione, & alijs ſimilibus. Quando autem, neque plus habet, neque minus, ſed ipſa commutata fiunt ſecundùm valorem, quem habent per ſe ipſa communiter, tunc dicitur, quòd contractum facientes habent, quæ ipſorum ſunt ſecundùm debitum, & neque damnificari, nec lucrari dicuntur. Ergò cuiuſdam lucri, & cuiuſdam damni iuſtum medium eſt.* Præter hoc autem iuſtum, quod determinatur ad par, aliud etiam, vt idem ſubijcit *cap. 9. determinatur ad pactum, quia aliquandò Commutationes fiunt pacto interueniente, ſine omni deceptionis fraude, & tunc prore non datur æquiualens, ſed id, quod pactum eſt* Quod coincidit cum præmiſſa diſtinctione generis, & ſpeciei, ſeù quantitatis, & materiæ in Iure, & DD. notiſſima, in qua proindè, veluti naturali dictamine omnes DD. Iuriſtæ, Canoniſtæ, & Theologi conueniunt, eoſque conciliant; *Nauar. Lopez. Rebell. Layman. & alii loc. cit.* Quod etiam in terminis infrà euidentiùs conſtabit.

## Quid Iuris in augmento ad Contractus ſimpliciter, & in genere.

EX his ergò in omnium ſententia, à pactis abſtrahendo, conſtat de primo augmento, quod eſt ſecundùm additionem materiæ, non 76
pretij, ſi vnquam in vſu eſſet, quòd nullatenùs eſſet in ſolutionibus

conſiderandum, quia, cùm idem pretium acceptum ſit ex iuſtitia reddendum, nihil intereſt maior quantitas materiæ, ſine qua in tali caſu idem pretium reddi non poſſet; ſicut è contrà, nec etiam conſiderandum eſſet ſi eodem pretio manente materia decreſceret, quia ſi æqualitas materiæ penſari deberet, euidens inæqualitas pretij ſequeretur; Et ſic cum vtramque æqualitatem ſeruare eſſet impoſſibile, Iniuſtum eſſet materiam, non pretium conſiderare, cum in hoc ſita ſit æqualitas formalis iuſtitiæ, & tanta veriùs materia cenſeatur, quanti æſtimatur, & valet *l.1.cit.ff.de contrab.vt ſuprà*.

77 Idem ob eandem rationem conſtat etiam de ſecundo, quod eſt per additionem pretij in eadem materia. Iniuſtus enim manifeſtè eſſet, ſi tale augmentum ſibi creditor deberi præſumeret, quia maius pretium pro minori manifeſtè exigeret.

78 Idem vlteriùs de tertio maximè conſtat, quod eſt per additionem materiæ, & pretij, quia ſine omni iuſtitiæ ratione eſſet, qui maius pretium, & materiam pro minori vſurpare contenderet.

79 Item de quarto, cùm non ſit verum, ſed apparens augmentum, patet ſatisfaciendum eſſe contractui Creditoris, vt videlicet tantum de pretio currente contribuatur, quantum ad complendum pretium contractus eſt ſufficiens. Quam quidem æqualitatem facilè erit inuenire, ſi ſicut habitum eſt ſuprà *nu.26. & ſeq.* ad primam menſuram vtrumq. pretium metiatur; vt puta ſi pretium monetæ contractus fuit 100. librarum ex his, quæ conſtant ex 20. ſolidis, quorum ſinguli 12. denarijs æſtimantur, totidem libræ ad tot ſolidos ex tot denarijs rationatæ reſtituantur; Cùm enim denarius in noſtra Republica ſit minima ſimplicitèr, & viliſſima monetarum, ſic minimi pretij, & inuariabilis; Minimũ autem in quolibet genere, vt plenè oſtenſum eſt ex 10. *Meth. cit.* ſit menſura certiſſima, & ratio cognoſcibilitatis cæterorum, per ipſum quodcumque pretium, non minùs, ac per vnitatem numerus, per palmum pannus, & ſimilia ſimilibus, certè & infallibilitèr cognoſcitur, & ad æqualitatem rectiſſimè reducitur Quo quidem rectiſſimo, nedùm ſoluendi, ſed etiam contrahendi modo, non niſi cum magna prudentia, & laude vtuntur in Hiſpanijs, dum in ipſis etiam contractibus celebrandis, ad omnem litem, & ambiguitatem euitandã, deſignant pretia per minimam monetarum, ſcribendo. E. G. *Seiſcientos milmarauedis*, per quod quomodocumque deindè moneta creſcat, aut decreſcat, intrinſecè, aut extrinſecè, certum ſemper eſt pretium, & debitum ex iuſtitia reddendum, vt not. etiam *Molin.diſp.*278. *num.*7.312. *nu.*3.

Digitized by Google

*nu.3.& 6.& 407.nu.2.* ac ſæpiùs etiam *in dec. granat.* refertur. Quarè, nec quidem in tali caſu augmenti apparentis, quamuis moneta non niſi apparenter ſit aucta, recurrendum eſt in ſolutionibus ad valorem, quo currebat tempòre contractus, niſi fortè, vbi tale augmentum eſſet iuſſu Principis determinatum, aut de eius quantitate publicè conſtaret; nam vbi, vt ſolet accidere, etiam opere hominum, ſic exigente conditione locorum, & temporum, moneta eſſet aucta, iam illi commiſceretur verum augmentum extrinſecum, cuius tantum, vt diximus, poſſunt homines eſſe cauſa; ac ſic recurrendo ad tempus contractus ſupradicta ſequeretur pretij inæqualitas, quæ eſt contra iuſtitiam.

Poſtremò de falſariorum nummis, & falſo, ac iniuſto augmento exindè emergente, ſatis ſuperq. conſtat, nullam prorsùs rationem habendam in ſolutionibus debitorum, ac ſi nullatenùs eſſent, prout re vera non ſunt, cum falſa, iniuſta, & ſimilia ſint de genere non entium. Quarè in hoc quidem caſu, vt vera æqualitas ſeruetur, in ijs contractibus, qui antè tale augmentum præceſſerunt, ſoluendæ ſunt monetæ ad valorem, quo currebant immediatè antè tale augmentum; in ijs verò, qui poſteà in eiuſdem augmenti progreſſu ſucceſſerunt, ſoluendæ ſunt ad eundem valorem, ad quem in contrahendo ſolutæ fuerunt; Quia ſic in vtriſque, eiuſdem generis, & eadem bonitate ſoluetur, quod datum eſt; ſimpliciter tamen, & abſolutè, neque in hoc caſu ob eandem ſupradictam rationem recurrendum eſt in ſolutionibus ad valorem, quo monetæ currebant tempore contractus, nè in antiquis debitis ſub nouo prætextu falſi, & enormis augmenti, etiam verum, & legitimum vſurpetur contrà æqualitatem iuſtitiæ, vt iam liquidiſſimè oſtendimus. 80

In nullo ferè igitur augmenti caſu moneta ſoluenda eſt ad valorem, 81 quo currebat tempore contractus, niſi ſpeciali, & honeſta conuentione ſtatuatur. Neque verò ob id non verificatur commune proloquium DD. de ſoluendo *valore contractus, æſtimatione antiqua, & de tempore contracta obligationis*, quod vbique in Conſilijs, Deciſionibus, & Iurium interpretationibus auditur. Aliud enim eſt ſoluere *valorem contractus, æſtimationem antiquam, & de tempore obligationis*, ideſt, *ſummam, & quantitatem æſtimationis, ſeù valoris contenti in contractu*; Aliud eſt in ſolutione numerare monetas ad rationem valoris, puta trium, quatuor, vel quinque librarum, ſex, ſeptem, vel octo iuliorũ, proùt ſingulæ numeratæ fuerunt tempore contractus; primum quidem ſimpliciter, & abſolutè iuſtum, & neceſſarium eſt, vt hactenùs

 proba-

Digitized by Google

probauimus; alterum autem, ſuppoſita mutatione monetæ, ſemper iniuſtum, & quandoque impoſſibile eſt, cum videlicet agitur de ſolutione in diuerſa ſpecie monetæ, vt expreſsè patet ex *tex. in cap. Olim, & cum Canon. de Cenſ.* Vbi, & in viliori, & in meliori moneta antiqua æſtimatio ſoluenda præcipitur, quod niſi de ſumma, & quantitate debita nequit intelligi; & ad hunc intellectum plerũque locuti ſunt DD. vt plerique ex allegatis interpretantur, & formaliùs ex Theologis *Molin. diſp.* 312 *nu.* 5. ex Iuriſtis *Menoch. conſ* 49. *n.* 42. & plenè oſtēditur *in dec. gran.* 12. *& ſeqq.* Aliquandò etiam loquuti ſunt de valore cõtractus, intelligendo de bonitate intrinſeca materiæ, cùm videlicèt pactũ tacitũ, vel expreſsũ præceſſit de ſoluenda moneta ſimilis, vel æquiualentis materiæ, ſub incertò tamen numero ſecundùm rationē maioris, aut minoris valoris currentis tēpore ſolutionis; proùt ſuprà explicatum eſt, & magis in ſequentibus conſtabit. Aliquandò demùm loquuti ſunt de valore contractus, complectendo omnia prædicta, cum videlicèt pactum expreſſum præceſſit de ſoluenda moneta in certa ſpecie, & numero; tunc enim in omnibus, & per omnia attenditur in ſolutione valor contractus, quia ſumma æſtimationis debitæ ſoluitur in totidem numero monetis eiuſdem, vel æquiualentis materiæ, ſub eodem omninò curſu, & valore, quo numeratæ fuerunt tempore contractus. Cæterùm dempto eiuſmodi pacto, principium generale ſuprà poſitum irrefragabile eſt, ſoluendam ſemper ſummam, & quantitatem æſtimationis contractus in moneta numerata ad valorem currentem tempore ſolutionis; Siquidem iſte eſt verus, & viuus eius valor, non alius, qui fuit, ſed perijt, & mortuus eſt. Seruabitur autem in huiuſmodi ſolutione perfectiſſima æqualitas, ſi tot monetæ ſub valore currente ſoluantur, quæ ſimul efficiant tot ſcuta, & libras eiuſdem rationis, ideſt numeri ſolidorum, & denariorum, aut ſimilium pro varietate locorum, quibus pretia menſurantur, quot continet contractus; Sic planè apud omnes vetuſta conſuetudo expoſcit, & conſtanter in Hiſpanijs ad numerum marauedinorum iuſtiſſimè ſeruatur. Impoſſibile eſt namque ad primam menſuram recurrendo, vel leuiter errare, vel aliunde veritatem certitudinaliter inuenire 10. *Meth. cit.*

Quid

## Quid Iuris in augmento ad ſpeciales Contractus conditionatos, & abſolutos.

VErùm, quia illud in Iure ſemper religioſiſſimum pacta ſeruari *l.1. in prin. ff. de pact. l. legem C. eod. l. 1. §. ſi conuenerit ff. depoſ.* atque ex pactis deſumitur forma contractus; *l. Contractus, & l. ſemper in ſtipul. ff. de reg. iur.* Communiſq. regula ſtatuitur, In omni contractu attendendum eſſe, quid partes conuenerint, vt ſatis ex forma contrahendi, & verborum contextu excipitur. *l. Cum precibus C. de probat. l. Emptionem C. plus vale quod agit &c. & cap. Nauiganti de vſur.* conſequenter verba obligationis in his maximè ſunt ponderanda: *l. Quidquid. l. Quoties de verb. oblig.* Siquidem formam obligationis ſemper reſpicimus, & ſecundùm eam iudicamus, cùm multa veniant ex pacto, quæ nō veniunt ex natura contractus, vt in *l. 1. C. Commod. Ang. Sal. Fulg. quos Surd. conſ. 368. nu. 5.* & plenè DD. *in tract. diuerſ.* Idcircò varias, & communiores contrahendi formas in hac materia ſecernere opere pretium ducimus, quæ tùm multiplici monetarum curſu, cùm multiformi contrahendi more in diuerſis locis, & temporibus arduam, difficilemque controuerſiam, mentemque DD. eatenùs incomprehenſam efficiunt, vt eam cum *Brun. limit. 8. Rener. cap. 2. etiam Scacc. §. 2. gloſ. 5. nu. 147. & malè tractatam, & peiùs intellectam* iactare non dubitauerint; quod nos, Deo iuuante, pro viribus præcauere cupientes, ad Iurium, & DD. totiuſque controuerſiæ perfectam, vniuerſalemq. intelligentiam, tria ex hactenùs præiactis obſeruanda cenſemus. 82

Primò, quòd ſicut patet ex dictis *nu. 16. & ſeq.* duplex in vſu moneta reperitur; Vna generica, & vniuerſalis, quæ cùm inſtituta ſit in ſignum determinati pretij à quacunque determinata materia abſtrahens, & ad quamcunque indifferens, vel auream, & argenteam, ſi per aliquam pretioſam argenteam menſuretur, vt ſcutum Romæ, quod decem iulijs conſtans ad cæteras argenteas, & aureas extenditur; vel auream, argenteam, & æream, ſi per aliquam vilem, æreamq. deſignetur, vt ſcutum, & libra in Sereniſſima Republica, quæ per 20. ſolidos deſignata in quacumque aurea, argentea, & ærea recipitur; eſtq. proindè ſecundùm rationem ſuam magis quædam ſumma, & menſura pretij, & ſic certa per ſe ſemper, & ſua ratione inuariabilis, quàm alicuius certæ materiæ pondus determinatum. Alia è contra eſt moneta ſpecifica, quæ cum materiam in quantitate, & qualitate mobilitati obno- 83

xiam

xiam concernat, pretio quodammodò indeterminato ſubijcitur, proût in eo, eadem etiam materialiter manens ſecundùm humanam indigẽtiam perſæpe variatur, cuiuſmodi ſunt monetæ reales, vt duplæ, regalia, &c. Vbi tamen ſummoperè aduertendũm ad percipiendum ſenſum DD. quod plerùmque contingit, vt idem nomen monetæ ratione diuerſorum locorum, & temporum æquiuocetur, & quod in vno loco ſignificat monetam genericam, in alio ſignificet ſpecificam, quod in vno genericam, aut ſpecificam, in alio genericam ſimul, & ſpecificã, & quod in vno æream, in alio argenteam, vel auream, & ſimilitèr in vno, & eodem loco, pro alio, & alio tempore aliud, & aliud, vt viſum eſt ſupra *nu.* 24. Quæ æquiuocatio, niſi ſolertiſſimè deprehendatur, inſolubilem pariet contradictionem DD. & pernicioſiorem æquiuocationem inter genus, & ſpeciem, quorum diſtinctio communiſſima eſt, & maxima in ordine ad obligationes; propter quod *Rener. cap.* 2. *nu.* 5. *Præſciendum eſt*, inquit, *priuſquam quid communiter hac de re ſtatuendũ ſit oſtendatur, aliam ſpeciei, aliam generis obligationem, & inter illa diſcrimen notabile conſtituendum eſſe.*

84 Secundò obſeruandũ eſt, quod etiã proximè tetigimus, iuſtum eſſe duplex, aliud quod determinatur, *ad par*, aliud; quod determinatur, *ad pactũ*; ideoq. aliter procedendũ eſſe in cõtractibus abſolutis, in quibus pretium æquiualens ſolutioni liberum reliquitur, vt contrahendo in moneta vniuerſali, vel etiam in ſpeciali abſolutè, vel ad rationem vniuerſalis, quibus modis æquiualentia pretij vbique præfigitur. Aliter autem in contractibus conditionatis, in quibus pretium ſoluendum ad determinatam materiam expreſſa conuentione obligatur, vt dum contrahendo in moneta ſpeciali, certa ſpecies, & numerus monetarum, neglecta publicæ æſtimationis æqualitate, ſolutioni deſtinatur. Conſimile eſt, quod obſeruant communiter DD. ea in decidendo vtentes notiſſima diſtinctione, quòd, quando vnum eſt in obligatione, & aliud in facultate ſoluendi vt in contractibus abſolutis, In omni proba moneta parem reddendo æſtimationem debitor liberatur; Secùs autem quando idem eſt ſimul in obligatione, & ſolutione, vt in contractibus conditionatis, quia tunc aliud pro alio inuito crẽditore non ſoluitur, vt plenè infrà *nu.* 89.

85 Tertiò, doctiſſimè in hac materia obſeruandum, cum *Laym. cit. n.* 15. de quo Fab. & DD. frequenter *in tract. diuerſ.* ad Iura, Doctorumq. dicta, vt par eſt, à contrarietate vindicanda, dupliciter, loquendo de ſolutione monetarum, vſurpari æſtimationem, ſeù valorem temporis

contra-

contractus, & ſolutionis; quandoque quidem pro quantitate debiti ſoluenda, ſiuè materiali, & intrinſeca, vt E.G. dicendo, Valorem debitum eſſe centum aureorum in auro; ſiuè formali, & extrinſeca, dicendo; Valorem eſſe centum librarum; quandoque verò pro curſu, & valore, ſub quo pecunia enumerari debet, vt quod aureus numeretur ad rationem ſeptem librarũ, argenteus ad quinque, & vnaquæq. ad valorem, & curſum, quem publicè habet. Porrò his varijs loquendi modis, ſæpè DD. ad ſe ipſos, & ad inuicem difformiter ſentire videntur, cùm tamen, ſi ad prædicta, vt oportet intelligantur, eorum multiplex loquutio, diuerſio potiùs, quàm auerſio ſit agnoſcenda, vt ex ſubijciendis vberiùs conſtabit.

Sic obſeruando procedunt prudentiores *Brun. & Theſ.* præ cæteris 85 DD. dicta paſſim conciliantes in *tract. diuerſ.* vbi etiam egregiè *Rener. cap.2.* Ità refert inter optimos Scriptores communiter receptum, indubitatumque eſſe apud illos, qui eorumdem doctiſſimorum Virorum ſcripta, tractatus, & conſilia, cum aliquali attentione legerunt, & viderunt; erroreſque multorum ex eo promanare, quòd hæc omninò negligant, aut non diligenter aduertant. *Hæc*, inquit, *nu.8. de intrinſeco, & extrinſeco valore monetarum, de tempore contractus, & ſolutionis, deq. generis, ac ſpeciei obligationibus, & diſtinctionibus, ſimilibuſq. doctrinis, volui paucis præmittere, ex eo quòd quidam ex veteribus, plures autem ex recentioribus hæc aut omninò negligant, aut non debito modo, ſtudio, ac diligentia ad ea aduertant; Idcircò ipſimet multipliciter inuoluunt, diuerſimodè ſentiunt, conſulunt, atque decidunt, & ità in inextricabiles errorũ labyrinthos ſæpè collabuntur.* Vndè ſubdit *nu. 36. Ex ſuprà deductis fundamentum quæſtionum omnium multipliciter controuerſarum deſumendum eſt, vti quoque deciſio earundem, ſemper enim ad illa, tanquam ad lesbianam regulam collimandum, vt quæ pecunia, ſeu moneta ſit in obligatione, & quæ in facultate ſoluendi accuratiſſimè attendatur, quorum vnum debitorem coarctat, atque conſtringit, alterum eundem liberiorem reddit.* Sic etiam loquuti ſunt eruditiſſimus *Menoch. conſ.49.* Surd. *conſ.335. Cenc. vt ſuprà q. 4.* poſt quos etiam *Scacc. loc. proximè cit.* & doctiſſimè ex Theolog. *Laym. cit. n.11.* cõcludens ad ea, & concilians DD. dicta *n.15.* ampliſſimèq. poſt omnes in *nouis dec. Reg. Senat. Granat.* ſimilẽ praxim in Regnis Hiſpaniarũ cõcordi DD. mente corroborans *d.13.17. & 22.*

Has ergo certiſſimas, & communiſſimas regulas in hac tam graui, 86 & ardua quæſtione ſeruantes. Ad generalem, ſolidamque veritatis reſolutionem in decidendis quibuſcunque controuerſijs in tota hac materia

teria monetarum vnquam exortis, & oriundis,cum communi omniũ, & Iurium, & DD. conſenſu,ſeptem vniuerſales Concluſiones ſuperiùs in 1. *art.* poſitas ſingularizantes per ſeptem ſubſecutas communiſſimas, indubitataſq. diſtinctiones explicare, aperire,& declarare ad omnia omninò cauillantium ſophiſmata eliminanda congruentiſſimum ducimus. Nihil ex nobis,vel minimum quid ſenſui noſtro; Sed cuncta Iuriſtarum, & Theologorum doctrinæ conformia ex ijs potiſſimè congeſſimus, quæ à celebrioribus *in tract.diu.& extrà*, ac demùm in *nou.dec.Regij Senat.Granat.* innumerorum, & Iurium, & DD. contextu ſunt latiſſimè, eruditiſſimèq. digeſta. Quò proindè,ne omnium dicta referentes oneroſa prolixitate laboremus, cuncta referimus. Ad primam igitur vniuerſalem ſit.

## Prima Diſtinctio.

88 IN omnibus Contractibus conditionatis, vbi ex pacto certa ſpecies, & numerus monetarum in ſpecie, & numero ſolutioni deſtinatur; ſemper in eadem ſpecie, & numero eadem moneta eſt ſoluenda, ſi in vſu ſit, & in eadem intrinſeca bonitate reperiatur.

89 Eſt communiſſima omnium ſententia per rationem ibi adductam ex ibidem, & hucuſque relatis. Sic omnia Iura requirere, & ex ratione euidenti etiam ſi non eſſet lex, ipſam dictare iuſtitiam naturalem, latè defendit *Regn.de mon.nu.6.* Idque ad vnguem ſeruandum decernit *Senat.Granat.diſp.*22. per id, quòd *ſemper religioſiſſimum ſit pacta ſeruari.*

Cenſendum autem hæc pacta interuenire, quoties, vt habitum eſt ſupra *nu.*41. arbitrio contrahentium æqualitas æſtimationis, & valoris, quæ aliàs de ſe intelligitur, expreſſa conditione iuſtè, legitimèq. excluditur, & pecunia ipſa in ſpecie, & numero ſolutioni deſtinatur; vt, E.G. cum quis ſtipulatur centum ſcuta auri ſub eadem quantitate, aut æſtimatione ſoluenda, vel quod æquipollet,centum ſcuta auri in auro iuſti, & boni ponderis, quidquid de eorum æſtimatione diſponatur, ſiuè omittatur, ſiuè admittatur,collectiuè, vel diuiſiuè, vel etiam indefinitè, vt declarando, centum ſcuta auri in auro ad rationem librarum ſeptem pro ſingulo, vel ſimul conſtituentia libras 700. vel etiam indefinitè proferendo centum ſcuta auri in auro, aut eorum veram æſtimationem, & valorem; vbique enim per antecedentia verba *auri in auro &c.* cum ſupra ſpeciem in materia, & quantitate reduplicent, de eadem ſpecie in eadem materia, & quantitate expreſſa conuenitur;

&ſe-

& ſequentia verba ad æſtimationem pertinentia, cùm liberè adſcribātur, non æſtimatiuè, ſed demonſtratiuè, ſeù non ad æſtimandum; ſed ad demonſtrandum, de qua ex varijs, alteriusq. valoris aureorum ſpeciebus cōtrahentes intendunt, id tantùm operantur, vt fortiùs eademmet ſpecies in obligatione explicetur: Quæ proindè in obligatione, & ſolutione ſimul eſſe iudicatur, nec eius in alia ſolutio vllatenùs admittitur, per *text. in l. 2. §. 1. ff. ſi cert. petat. Aliud pro alio inuito Creditore ſolui non poteſt*; nàm licet generali totius mundi conſuetudine, aliud etiam pro alio ſoluatur; non tamen obſiſtente conuentione receptum inuenitur, & maximè ſi ex eo damnum Creditor patiatur, per id quod *l. 99. ff de ſolut. Paulus reſpondit, Creditorem non eſſe cogendum in aliam formam nummos accipere, ſi ex ea re, damnum aliquod paſſurus ſit*, quod quidem in quauis moneta ob ſpeciales cuiuſque vtilitates, quas ſuprà enumerauimus, Creditore inſiſtente, conſideratur.

Hinc eleganti dicendi varietate communiſſimè ſentiunt DD. om- 90
nes quidèm in æſtimatione, & bonitate intrinſeca tempus contractus, in extrinſeca vero alij tempus contractus, alij ſolutionis, & alij veriùs neutrum attendendum aſſerentes; cùm per omnia in idipſum multifariàm coincidant, quòd debita ſpecies in eadem intrinſeca qualitate, & quantitate ſoluatur, & conſequenter de æſtimatione extrinſeca nihil curando, ſiuè maior, ſiuè minor, ac ſi nullatenùs fuiſſet immutata integrè debeatur; ſic enim, & nullum tempus attenditur, quatenus ea neglecta, tota conſideratio ad intrinſecam conuertitur; tempùs etiam contractus attendi dicitur, quatenus eadem ſpecies in eodem numero redditur, ac ſi ſub eadem æſtimatione temporis contractus adhùc ſaluaretur; tèmpus verò ſolutionis ſimilitèr attenditur, quatenùs eademmet ſpecies in toto valore currenti integrè ſoluitur, & iuxtà eum ſi in alia ſpecie ſol ere contingeret, pretium ſolutionis regulari deberet, nè alioquin aliud pro alio Creditor accipiendo damnum pateretur. Hæc omnia latiſſimè DD. omnes, vt plenè in *Tract. diuerſ.* & pulchrè *Surd. conſ. 368. nu. 14. cum Scacc. Gloſſ. ſupra cit. nu. 102. & ſeq.* Idem ſentientibus communiſſimè Theologis *loc. ſuprà citat.* Vndè omnium mentem declarando *Rot. Roman. in Cremon. Penſ. deciſ. 219. coràm Orano ſuprà relata. In hoc*, ait, *Themate ſuccedit regula, quòd quoties moneta deſtinata ſolutioni augetur, vel minuitur in valore extrinſeco, id cedit ad commodum, vel incommodum Creditoris*; Idq. indubitanter admittendum, ſecluſa hinc inde mora, qua ſemper exempta procedimus, cùm aliàs notiſſimum ſit, quòd omnia Iura clamant contrà moroſos. Pacta



Digitized by Google

autem, quæ iuſta, & legitima, quæque iniuſta, & fœneratitia cenſeantur ſuo infrà loco *nu.* 109. ſubijciendum; *Contractus enim ex conuentione legem accipere dignoſcuntur per Reg. Iur.* 85. *ſi tamen honeſta, nec contrà bonos mores per gloſ. & DD. ad illam.* Ad ſecundam Vniuerſalem ſit.

## Secunda Diſtinctio.

91 SI eodem pacto intercedente, ea moneta in vſu non ſit, aut ſit totalitèr reprobata, vel in bonitate intrinſeca, aut detractione minor, aut mixtione vilior, aut etiam additione maior, & melior facta, ſoluenda eſt eiuſdem æſtimatiõ, quam publicè habebat tempore contractus in alia æquiualenti, & quæ minùs ab ea in bonitate intrinſeca diſcedat.

Et ſimùl cum præcedēti communiſſima DD. Qui omnes indifferenter in hoc caſu, tàm quòad æſtimationem intrinſecam, quàm quòad extrinſecam reſpiciendum decernunt ad tempus contractus. Sic expreſsè per *tex. in cap. olim, & cap. Canon. de Cenſ.* & Iura ibidem allegata. Pecunia enim reproba cùm nullam ampliùs æſtimationem habeat, non magis quàm homo mortuus. *l. in act.* 5. *S. vlt. de lit. Iur. l. penult. ff. de condit. trit.* non liberat, nec expendibilis eſt, nec nomen pecuniæ habet. *l. èlegantèr S. Qui reprobos ff. de pign. act.* & facit *text. elegans in l.* 1. *C. de vet. num. pot. lib.* 11. vbi pecuniam antiquam aliàs probam ſi fuerit reprobata, licitè poſſumus, & impunè recuſare: bonitas ſiquidem pecuniæ ex vſu cōſideratur *l.* 1. *ff. de contrah. empt. l. Labeo S. Sabinus ff. de verb. ſign. & in tract. diuerſ.* plenè oſtenditur. Pecunia etiam deterior, aut melior, præterquàmquòd alterius ſpeciei, cenſetur impar ad debitum, imparemq. facit Contrahentium conditionē; altera quippe minuit, altera auget pretium, & ſic altera onerat Creditorem, altera Debitorem, à quo liber vterque eſſe debet per *Text. in l.* 99. *& DD. ff. de ſolut. per l. Qui bona S. Quanquam ff. de damn. infer.* Proinde æſtimatio, & bonitas, tàm intrinſeca quàm extrinſeca temporis contractus eſt inſpicienda, vt vbique DD. ac in *Tract. diuerſ.* fuſiſſimè indicatur. Vtraque autem inſpicitur, quatenùs ad quamcumque reſpectus habeatur, tempus contractus attenditur; nàm ſiue ad bonitatem intrinſecā ſolutio reducatur, idem pondus, & qualitas monetæ antiquæ in alia conformiori ſpecie ſoluitur; ſiuè ad extrinſecam, ſumma æſtimationis, quam continebat antiqua tempore contractus in alia ſpecie currenti compenſatur. Cùm enim tempore ſolutionis tàm intrin-

intrinſecè, quàm extrinſecè ſpecies antiqua ſupponatur variata, nulla alia ſine dubio ad ſatisfaciendum contractui, vel intrinſeca, vel extrinſeca æſtimatio poteſt in ea conſiderari, quàm ea, quam continebat tempore obligationis, quod pulchrè innuit *Brun. part. 4. vbi nu. 3. Ex quo*, inquit, *antiqua non reperitur, vel non eſt in vſu, nùnc ſciri non poteſt eius curſus, nec eſt noſtrum illum taxare; vndè meritò ſit conſideratio ad valorem, & curſum de tempore contractus; & dicere, quòd ſi reperirentur eſſent in hoc, vel in illo curſu, eſſet omninò diuinare*; Idemq. repetit *part. 5. nu. 5. Vbi de promiſſa non reperitur, cùm ſit extincta, paritèr eius curſus eſt extinctus talitèr, quòd eius valor æſtimari non poteſt de præſenti; ideò inſpicitur valor ſecundùm tempus contractus*. Et quidèm ſi tàm intrinſeca, quàm extrinſeca æſtimatione ſpecies antiqua ſit proportionalitèr variata; certum, quòd vtrius, ſiuè intrinſecæ, ſiuè extrinſecæ reſpectus habeatur, in eadem, vel alia ſpecie ſub æſtimatione currēti plus, & minus iuxtà exigentiam eiuſdem antiquæ impendendo, debitum ad æqualitatem perſoluetur, vt etiam ſupra in ſecunda Vniuerſali de DD. mente concluſimus; ſecùs aùtem, ſi vtriuſque æſtimationis mutatio ſit inæqualis, quia tùnc ſolutio ad æſtimationem, & bonitatem intrinſecam magis, quàm ad extrinſecam de tempore contractus erit commenſuranda; cùm enim, vt dictum eſt in huiuſmodi cōtractibus conditionatis primaria Contrahentium intentio obliget ad intrinſecam bonitatem, ad eam ſemper in ſolutione eſt recurrendū, & ab ea quantitas debiti regulanda, ac omnimodè conandum, vt prædicta intentio omni meliori modo impleatur. Quod in *Tract. diuerſ. & extrà* ſæpiſſimè declaratur, & in terminis decidit *Rot. in illa Bononien. coràm Manzanedo deciſ.* 119. *ſuperius cit. vbi nu.* 11. communem ſententiam DD. concludens. *Si*, inquit, *non currat moneta ſoluta tempore contractus, ſoluetur hodie de currenti ad valorem tamen intrinſecæ bonitatis monetæ antiquæ, & ità eius æſtimatio antiqua attendatur ad hoc, ut poſſit inueſtigari quantitas, quæ de moneta, & valore hodierno ſit ſoluenda, ſiquidèm hæc debet regulari iuxtà æſtimationem antiquam dictæ monetæ, ut voluerunt Iura in cap. olim &c.* Idèm in alia *Rom. Pecun. coràm Pen. deciſ.* 217. *nu.* 2. *Et cap. olim, & cap. fin. de Cenſ. ſancitur, ut deficiente antiqua pecunia, ſolutio fiat in moneta, quę eſt in uſu, tamen ſecundùm valorem antiquæ*, & communiſſimam DD. ſententiam aſſerit etiam ex Theol. *Laym. loco cit. nu.* 19. Vndè propterea pro antiqua ſpecie, ſiuè omninò reprobata fuerit, ſiuè intrinſecè deterior, aut preciosior euaſerit, & ſic à primæuo vſu deceſſerit; In omnem caſum, vt optimè declarat *Scacc.* §. 2.

*Gloſ.* 3. *nu.* 122. in quem debitor non poſſit ſoluere monetam, quam debet præciſè, & ideò ſit admittendus ad ſoluendum æquiualentem, tenetur ſoluere æquiualentem, in qua minùs diſcedat ab ea, quæ eſt in obligatione; Vndè ſi debet ſoluere monetam auream vnius formæ, debet potiùs eam ſoluere in alia forma, quàm in alia ſpecie metalli, & ſi in alia ſpecie metalli, potiùs in argentea, quàm ærea, & ſemper in ſpecie magis ſimbola, & magis proxima debitæ; vt ſubrogatum ſapiat naturam eius, in cuius loco ſubrogatur; & quia contractus eſt quædã lex inter partes, & ea, quæ ſunt contrà legem interpretamur, quò minùs à lege recedamus; Vndè etiam ex pluribus, non quod deterius eſt, ſed mediocre ſolui debet *l.* 37. *legato ff. de legib.* 1. & notat cùm pluribus idem *Scacc. Gloſ.* 5. *nu.* 119. Et in *tract. diuerſ.* communitèr, ſic ipſa dictante Iuſtitia naturali. Ad tertiam Vniuerſalem ſit.

## Tertia Diſtinctio.

92 SI ſtante eodem pacto, eadem moneta in vſu ſit, nec ſit in bonitate intrinſeca mutata, difficulter tamen, & inſufficientèr ad ſatisfaciẽdum contractui reperiatur, ſoluenda eſt eiuſdem monetæ æſtimatio, quam habet tempore faciendæ ſolutionis in alia æquiualenti, vt ſupra, & quæ minùs ab ea in bonitate intrinſeca diſcedat.

Eſt cùm prima præcedenti communiſſima DD. vnanimitèr aſſerentium pro ſpecie promiſſa, ſi aliqualitèr in vſu permanſerit ſoluendam eſſe æſtimationem temporis ſolutionis, quæ ſine dubio integrè ſolueretur, ſi ipſa ſpecies debita ſolui poſſet. Quod tamèn aliquandò, cùm eius ſpeciei raritas non patiatur, ità in alia ſpecie compenſatio admittitur, vt ad eiuſdem promiſſæ curſum, & valorem ſolutio reguletur, nẽ aliter minus, quàm in debita ſpecie Creditor reciperet, & aliud pro alio accipiendo contrà communem regulam damnum pateretur. Sic notant communiter DD. in *Tract. diuerſ. & extrà*, in differentiam ſecundæ diſtinctionis præmiſſæ, vbi ſpecies debita, vel publica reprobatione, vel intrinſeca mutatione totaliter ab vſu deperditur. Aliud eſt enim, quòd ſpecies promiſſa totalitèr ab vſu deceſſerit, & ſic in ea non niſi æſtimatio præterita temporis obligationis conſideranda occurrat, vt in prædicta diſtinctione declarauimus. Aliud, quòd ſpecies promiſſa in vſu, quamquàm rariori ſuperſit, vt ſic eius præſens æſtimatio conſiderari poſſit. Ita doctiſſimè *Brun. partit.* 5. *nu.* 5. *Eſt*, inquit, *differentia, quandò pecunia promiſſa reperitur, & quis velit de alia ſoluere*,

*re, quæ valeat quantùm promiſſa, & quandò non reperitur; nàm primo caſu ideò inſpicitur valor pecuniæ ſecundùm tempus ſolutionis, quia illa æquipollet promiſſæ, & perindè eſt, ac ſi promiſſa daretur, poterit enim ex illa de promiſſa haberi, & ſi promiſſa haberetur plus non valeret. Et ſic dici poteſt, vbi de promiſſa non inuenitur, quia cùm ſit extincta, pariter eius curſus eſt extinctus taliter, quòd eius valor æſtimari non poteſt de præſenti, ideoq. inſpicitur valor ſecundùm tempus contractus*; Idem *Cenc. de Cenſ. quæſt. 4. citat. nu. 12. Quandò inter Contrahentes fuit conuentum, quòd ſolutio fieret de aliquo genere pecuniarum, ſi tempore ſolutionis dictum genus monetarum non reperitur, vel cùm magna difficultate ſolutio fieri debet in alia moneta iuxtà tamen valorem conuentæ, qui currit de tempore ſolutionis*; ſic etiam ſecundùm communem DD. ſemper iudicauit *Rot. vt in Aprut. Cenſ. coràm Sacrato deciſ. 215. in Rom. Pecun. coràm Penia deciſ. 216. in Rom. aureorum coràm Lancellotto deciſ. 217. in Forolin. Cenſ. coràm Sacrato deciſ. 218. in Aret. Penſ. coràm Litta, & in alia Forolin. Cenſ. coràm Iuſto*, quas ſuprà in vniuerſalibus allegauimus. Et comprobat Senat. Granat. *diſp. 24. num. 12. Quotieſcunque ſpecies debita cùm difficultate inueniretur, aut pretio exceſſiuo, & immoderato, eo caſu non eſt neceſſariò ſoluenda ſpecies, ſed eius æſtimatio*; Neque ad id iuſtè quis compelli poteſt, quia, vt rectè etiam notat *Scacc. §. 2. Gloſ. 5. nu. 127. Vbi neceſſitatis lex imperat, pacta, & cæteræ leges ſilent, & obediunt*, & vt idem præmiſit *Gloſ. 3. nu. 115. Omnis Iuſtitia, omniſq. æquitas poſtulat, vt debitor, qui non poteſt ſoluere in forma præciſa, in quæ eſt obligatus, valeat ſe liberare ſoluendo in æquiualenti, & ſufficere debet, quòd ipſe alleget ſibi difficile eſſe*. Quam difficultatem declarat *nu. 121. Intellige dùm dixi debitorem admitti ad ſoluendum in moneta æquiualenti, quandò non poteſt habere monetam, in qua eſt præcisè obligatus, vt dicatur eam non poſſe habere, quandò eam habere non poteſt in loco, in quo debet eam ſoluere; Quarè ſi debeat in Ciuitate Aretij ſoluere dupplas Hiſpanicas, & in Ciuitate Aretij non reperiantur, ſed reperiantur Genuæ, vel in Hiſpanijs, dico quòd quòad hunc caſum diceremus Debitorem non poſſe eas ſoluere, quia non reperiuntur; paria enim ſunt iſto caſu impoſſibilitas, vel difficultas*. Et ſubdit *nu. 122* ſolutionem admittendam in alia ſpecie, quæ minùs à debita in qualitate, & bonitate diſcedat modo proximè declarato iuxtà *l. Paul. 99.* cum quo tranſeunt *DD. omnes ff. de ſolut. cit.* Ad quartam Vniuerſalem ſit.

Quarta

## Quarta Diſtinctio.

93 IN omnibus contractibus abſolutis, vbi nullum præcedit pactum de aliqua ſpeciali moneta ſub eadem ſpecie, & numero ſoluenda, ſed in moneta generica, & vniuerſali, vt ſcuto, & libra, quæ ex quacunque ſpeciali abſtrahitur contractus celebratur, quæcunque moneta (viliſſima excepta) & ſub pretio currente ſolutioni libera relinquitur, ac ſufficit ſoluere præſcriptam ſummam ſcutorum, & librarum eiuſdem rationis, & valoris.

Eſt paritèr communiſſima DD. tàm Iuriſtarum, per Iura in quarta Vniuerſali ſupra allegata, quàm Theologorum per rationes *nu. 68. uſque ad* 77. expoſitas, ac *in tract. diuerſ. & nou decis. Granat.* fuſiſſimè traditur: Vbi ſimilitèr ſub hac diſtinctione, vt etiam ex Theologis explicat *Layman. nu.* 15. ad idem Iuris ſpectare declarantur omnes contractus, ſiuè in generica, ſiuè in ſpecifica moneta, abſolutè, vel ad rationem genericæ præcisè inſtitui, vt v.g. prout communi vſu apparet; Cùm quis ſtipulatur centum ſcuta, aut libras Genuæ monetæ currentis, vel centum ſcuta de decem Iulijs Romæ, quæ ſunt monetæ genericæ, vel etiam centum dupplas Hiſpan. abſolutè, vel ad rationem ſcutorum, & librarum, vt exponendo centum dupplas Hiſpan. conſtituentes valorem, & ſummam 1450. librarũ, vel etiam inuerſo ordine 1450. libras in centum, vel tot dupplis Hiſpan. præcisè, & abſque alio ſuperaddito, quo exprimatur, vt in eadem ſpecie, & numero, aut ſub eadem æſtimatione ſoluantur.

94 In ſimplici enim ſtipulatione monetæ purè Vniuerſalis, quæ eſt purè ſignum pretij nullam omninò includens determinatam materiam, & in quacunque determinata æqualiter conſiſtens, cuiuſmodi eſt noſtrum ſcutum, & libra, vt plenè ſuprà *nu.* 23 & pluribus infrà *nu.* 124. *& ſeqq.* Euidentiſſimum eſt, quòd ſicut ex omni proba, & currenti moneta eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei, ſecundùm publicam æſtimationem dicta ſumma ſcutorum, & librarum, poteſt in ſtipulatiòne numerari, ità in omni proba, & currenti ſecundùm communem æſtimationem eandem ſummam ſoluendo, poterit eodem Iure debitor liberari, vt de facto antiqua conſuetudine conſtat in noſtra Republica, vbi, & fuit ſemper, & adhùc mos eſt cõtractus abſolutè ſcutorum, & librarum ex omni monetarum ſpecie ſecundùm pretia currentia ſtipulari, eademq. forma, ipſo naturæ Iure perſolui, quidquid nouiſſimè, quidam, de quibus *art. ſeq.*

*ſeq.* innouare tentauerint; ſic etiam communi vſu receptum in Regnis Hiſpaniarum teſtatur *Molin.diſp.*278. *nu.*4. 312. *nu.*6. *&* 407. *nu.*2. cum *deciſ. Senat, Granat. diſp.*13. *nu* 25. prout infrà referimus *nu.*114. Neque enim in hac contrahendi forma, ſecundùm quam variæ monetarum ſpecies ſub vno librarum nomine colligũtur, vlla præſcripta ſpecies in obligationem deducitur; ſed tantùm libra in obligatione poſita, quæcunque ſpecies in publico vſu recepta, & ſecundùm communem curſum in facultate ſoluendi relinquitur; quod etiam vt notat *Rener. cap.* 25. apertè indicant verba illa, *Moneta Currentis*, quæ ad nullius ſpeciei obligationem referri poſſunt. Immò per illa regularitèr ſubintelligimus monetam omnem, maximè verò, etiam minorem quamlibet, vſualem tamen, & probam, atque approbatam; proindè in quauis proba, & currente moneta velit ſe debitor liberare, poſitum eſt in eius electione, modo ex ea ſecundùm præſentem curſum integrè ſoluat debitam ſummam librarum eiuſdem rationis, & valoris, ideſt numeri ſolidorum, & denariorum, quibus libræ valor, & eſſentia menſuratur vt ſuprà *nu.* 31. ſatis oſtendimus. Ità concludunt communitèr DD. vt in *Tract. diuerſ. Lauden. nu.* 33. *Si promitto centum libras in denarios, poſſum ſoluere de qua pecunia velim per Bart. Bald. Angel. Iacob. & alios*. Idemq. ſequitur *Brun. præſupp.* 2. *nu.* 11. Ex eo quòd in tali debito non conſtat qualis pecunia fuerit exburſata; & clariùs Communem opinionem referens *part.* 5. *nu.* 6. quam probat *Rener. cap.* 2. *n.* 7. *Quia aliàs non eſſet differentia inter obligationem ad certam ſpeciem, & obligationem ad meram quantitatem in genere de quauis moneta, quod eſt abſurdum, quia eſt contrà Ius, & contrà rationem, & vſum conſuetum*; & ſubdit. *Eſſet fatua Quæſtio; cùm non ſit moneta legata in certa ſpecie monetæ, ſed in quantitate generica ab omni certa ſpecie abſtracta, & ſic neceſſariò omnes ſpecies monetæ recipiunt functionem ſecundùm omnes*. Idem proſequitur in *ſecunda maxima*; & confirmat *cap.* 6. *per Bart. Bald. Angel.* & omnes communiter Antiquiores, & recentiores, quòd de qualibet moneta bona, & curſum habẽte rectè ſolutio fiat, ità quòd erit in electione debitoris ſoluere de qua moneta voluerit, & quòd damnum, & lucrum contingens in valoris variatione cedet ad cõmodum, & incommodum debitoris. Indubitatam tandem fatetur *Cap.*23. *n.*13. *De Generis obligatione nulla ſpeciei facta mentione, vt ſiquis obligatus ſit ad ſoluendos annuatim centum Thaleros, res eſt expedita, & ſecũda Concl. maxima omnem dubitationis anſam tollit. Quare hoc caſu, & ſimilibus debitor ſoluendo monetam iuxtà tempus ſolutionis communitèr currentem*

*rentem*

Digitized by Google

rentem liberabitur, & in cauſam duriorem cõdemnari non debebit. Quod iterùm pluribus probando ſuſtinet *Cap.* 25. Idem limit. adhibita infra in 5. & 6. *diſtinct. Theſ.* 1. *part. num.* 86. & latè defendit *par.* 2. *caſ.* 5. vbi euidentes rationes adductas *nu.* 43. DD. auctoritate corroborans, *Hanc*, inquit, *opinionem in indiuiduo tenent Claſſici Scriptores, & accuratiſſimi Viri, tàm antiquiores, quàm recentiores, & 1. Bart. l. Paul. & alii, qui hanc eſſe veram, & communem opinionem teſtantur*, poſt quos ſingillatim enumeratos, obiectionibus ſatisfaciens ſubijcit *nu.* 49. *Nullorum auctoritates, qui contrariam opinionem defendunt ſunt præponendæ auctoritatibus Bart. & Bald. & aliorum præclariſſimorum Iuriſconſult., qui pro debitore ſcripſerunt, & auctoritati Curiarum, cùm pro debitore iudicauerint Rot. Rom. apud Put. dec.* 39. *Senat. Pariſ. apud Papon. Curia Burdigal. apud Boer. & Senatus noſter Pedemontanus tot præiudiciis confirmauit, vt dixi ſuprà, quę pro lege cuſtodienda ſunt*. Sic etiam *Fab. Cap.* 3. *verſ. An igitur*. Et ſiuè monetæ reales creuerint, ſiuè decreuerint intrinſecùs, vel extrinſecùs, cùm nulla earum ſit in obligatione, ſed tantùm in facultate ſoluendi, ſolùm exigi vt ſoluatur debita ſumma librarum oſtendit *Cap.* 8. *verſ. ſi negotium*, & in fine concludit *Cùm librarum appellatio nummi ſpeciem conſtituat, quę numerica ſit, aut vt loquuntur numeralis potiùs, quàm ſpecifica, numeralis porrò pecunia proprium illud eſt, vt in qualibet proba moneta ſolui poſſit, dummodò non in minutiſſima*. Idem *Cap.* 21. *verſ. illud etiam obſeruandum*. Et iterum de Florenis *in fin. Concl.* 5. *Non idem dicendum erit, ſi floreni debeantur, nec dictum ſit in qua nummorum ſpecie ſolui debeant; nàm cùm florenorũ ſpecies nulla ſit, qua ſolui poſſit, nihil eſt, quod vetet in Quadrantibus quoquè ſolutionem fieri, ſufficit enim hoc caſu reprobam non eſſe monetam, quæ ſoluitur. arg. l. Eleganter §. qui reprobos. ff. de pignor. act. l. Creditor de ſolut.* Communem quoque ſententiam aſſerit *Couarr. Concl.* 9. & 10. & in terminis Vir eruditiſſimus *Menoch. conſ.* 49. vbi *nu.* 14. *In hanc ſententiam adducor, quia cùm florenorum nulla ſit certa ſpecies, & forma in hac regione, ideò quemadmodùm tempore contractus promiſſi ſolui potuerunt ex quauis moneta, ita & nunc*. Idemq. efficaciter defendit etiam *Surd. conſ.* 335. vbi *nu.* 7. præmiſſo, quòd nulla expenditur moneta, quæ appelletur libra, ſed ſit moneta imaginaria, & in abſtracto magis, quàm in concreto poſita, & cuius potentia non actus habetur, & in eius ratione, vel calculo ineundo nullus habetur reſpectus, nullaq. proportio ad alias monetas, infert *nu.* 8. *In hoc caſu nulla eſt certa moneta in obligatione, ſed libra quæ monetam faciunt imaginariam, & pro*

quibus

*quibus ſolui poteſt qualibet moneta, nullamque obſiſtere deteriorationem*, ſubdit *nu.* 11. *Quia vbi vnum in obligatione reperitur, & aliud in ſolutione, tunc licèt, quod eſt in ſolutione ſit deterioratum, tamen debitor liberatur illud ſoluendo per l.* 1. *§. Planè, & §. ſi poſt litem ff. ſi quadrup. paup. feciſſ. dicat.* per quem text. concludit etiam *Socin. ſen. conſ. 6. col. fin. vol.* 1. Quos etiam refert, & ſequitur cum *deciſ. Rot.* 84. *&* 964. 1. *par. apud Seraph. Cenc. de cenſ. q.* 4. *citat. nu.* 15. *Quando in obligatione adeſt aliqua moneta imaginaria, puta florenus, libra, vel ſimilis, quæ non reperitur cuſſa ſub tali nomine, ſolui poteſt qualibet moneta, quæ conſtituat florenum, libram, vel aliam quamlibet imaginariam monetam, quæ eſt in obligatione, habita ratione ad valorem monetæ debitæ qui currit tempore ſolutionis faciendæ*, ſic etiam *Scacc. poſt omnes Gloſ.* 5. *nu.* 118. Vndè extrà controuerſiam concludit *num.* 145. *Quando obligatio, ſeù promiſſio ſolutionis eſt in moneta imaginaria, quæ exiſtentiam non habet niſi in aliis monetæ ſpeciebus; iſto caſu concludo cum minori controuerſia poſſe debitorem ſoluere in quauis moneta proba.*

Eam autem monetam probam omnes intelligunt, quæ inter negotiatores eſt in publico commercio recepta, à quo extrà Regna Hiſpan. reijcitur moneta viliſſima ærea videlicèt, & quæcunque nimio ære permixta, quam ſuprà *num.* 46. cum iiſdem DD. notauimus ad ſupplementum graſſioris monetæ, & pro cibarijs minutatìm emendis, non verò pro debitis ſoluendis cudi ſolere; ideòq. in pluribus Regionibus, & Ferdinandi Imperatoris Conſtitutione ſancitum eſſe Auguſtæ 1559. quòd nemo in Regionibus Imperij in ſolutionem qualemcunque alicuius notabilis ſummæ cogatur recipere de minuta pecunia vltra 25. florenos; reliqua verò ſummæ pars, etiam ſi nihil de monetæ qualitate ſpecialitèr conuentum ſit, in groſſiori, & vſitatata ſolui debeat. Et Genuæ ſimiliter ſpeciali Decreto Sereniſsimi Senat. 1461. ſtatutum eſſe, neminem cogendum ad recipiendam monetam minutam vltrà ſummam quinque librarum; quod iuſtis, & honeſtis rationibus fulciunt. *Brun. Præſupp.* 2. *nu.* 11. *Rener. cap.* 16. *nu.* 20. *Theſ. ſæpè* 1. *&* 2. *par. & Fab. loco cit.* Eleganter etiam poſt omnes exponit *Scacc. gloſ.* 5. *cit. nu.* 117. & caſum noſtrum figurans *nu.* 118. *Licèt*, inquit, *in caſu, quo ego mutuarem tibi centum libras monetæ Genuenſis currentes, tu eſſes obligatus in genere ad dictarum centum librarum valorem reſtituendum in quibuſuis monetis Genuenſibus, etiam ſi dictum eſſet, quòd mutuo tibi centum libras in tot cauallottis, quia videor omnes illos Cauallottos eſtimaſſe, & vendidiſſe centum libris, prout dicimus in dote data æſtimata; & ideo* 95

L *tu in*

*tu in quauis moneta Genuenſi ſoluas centum libras, es liberatus . Bart. in l.Paul.&c.Tamen ſi ſupponamus mutuum in notabili quantitate, & non appares factum in moneta minuta area, dico reſtitutionem fieri non debere in moneta minuta. Et moueor triplici ratione; Primò, quia moneta minuta cuditur pro emendis rebus pauci valoris &c. Secundò, quia eſt cæteris deterior, ex pluribus autem, non quod deterius eſt, dari debet, ſed mediocre. Tertiò, quia in contractibus ſemper attenditur veriſimilis mens contrahentium, quos non eſt veriſimile in magna ſumma intellexiſſe pecuniam minutam aroſam, &c.* Idque per Conſtit. prædictas declarat *nu.*122.

96 Idem ex his cenſendum in ſtipulatione monetæ vniuerſalis per aliquam certam ſpeciem deſignatæ, vt ſcutorum monetæ de 10. iulijs Romæ, & ſimilium, quæ publico vſu in omni pretioſa moneta argentea, vel aurea ſecundùm pretia currentia numerantur Nequè aliud inter has, & proximè conſideratas vniuerſales diſcrimen agnoſcitur, quàm, quòd illæ, vt viſum eſt, ſunt ex natura ſua ad quamcunque ſpecialem monetam auream, & argenteam, vel æi eam pretioſiorem, & viliorem etiam minutiſsimam indifferentes, nec niſi Principis decreto ad monetas groſsiores pro debitorum ſolutione coarctantur. Iſtæ verò cùm ſint per certam monetam argenteam menſuratæ ad cæteras pretioſiores ex natura ſua, & abſque alio Principis decreto limitantur. Propter quod, vt etiam quotidiana experientia demonſtrat, in quauis pretioſa moneta argentea, vel aurea, ſecundùm pretia currentia earum debita plena ſatisfactione liberantur. Idem expreſsè iudicant omnes ſupra cit. ea tantùm conſideratione adhibita, quam nos in 5. *& 6. diſtinctione ſequenti*, vt iulij, vel aliæ ſimiles monetæ reales, per quas huiuſmodi vniuerſales deſignantur, ſint eiuſdem ſpeciei, bonitatis, & valoris, ac tempore contractus, cùm ad illas, & non ad alias fuerit contracta obligatio. Sic *Brun. par.*5. *nu.*6. & ſecundùm communem opinionem DD. *par.*6. quam exponens *Rener.cap.*2.*nu.*28.*Certum eſt*, inquit, *communem in obligatione generis ſententiam hoc ſenſu accipiendam videlicèt, Cum genus puta tot libræ groſſorum, ſiuè tot floreni, tot tholeri, Colon.moneta, qua tùm ex vi, & natura verborum, tùm etiam iuxtà quotidianum vſum, ad quem ſemper eſt reſpiciendum, appellatione generis continentur, in obligationem ſunt deducta, tunc rectè per quamlibet moneta non reproba, aut falſa, ſed proba, & iuſta ſpeciem ſolutio fieri poterit, atque ità manente intrinſeco, & ſubſtantiali nobis valore integro, non attenditur in quantùm ſpecies qualibet, puta aurei coronati, ducati, & reliqua ſortes creuerint, aut decreuerint extrinſecùs; non enim ſunt de per ſe in obliga-*

Digitized by Google

*obligatione, ſed in facultate ſoluendi ſecundùm aſtimationem iſtam, quæ hodie, hoc eſt ſolutionis tempore vſu ſeruatur*. Eamdem diſtinctionem clariorem in terminis *aureorum, librarum, & florenorum* tradidit *Faber cap. 3. Hic temperamentum illud adhibendum erit, vt ſiuè aureos quis debeat, ſiuè libras, aut ducales, aut* Regias, *niſi nominatìm dictum ſit, in quibus ſpeciebus ſolutio facienda ſit, ſoluere quidem licet in moneta qualibet recepta, & proba: ſed ità tamen, vt minima ſpecies ſit ſolidi noſtri, quem aſſem appellamus. Semper enim eius, cui debentur aurei, vel libræ probabiliter videtur intereſſe, vt in minutiſſimus monetis, quas vocant parpaioles, & quartæ, ſolutionem accipere non cogatur ex quacunque cauſa aurei, vel libræ debeantur; & ità ſæpiſſimè iudicatum ſcio. Non idem erit, ſi nec libræ nec aurei, ſed floreni debiti proponantur. Tunc enim, vel ex minutiſſima quaque moneta, dummodò proba, & recepta ſoluere ſatis eſt. Idem concl* 2.3.4.*&* 5. Eſt diſtinctio communiſsimè recepta, & in *deciſ. Granat.* latiſsimè comprobata, ad eamque faciunt omnia, quæ proximè ſuperiùs ex *Theſ. Laym.* & alijs indicauimus, addita *deciſ. Rot. Rom. coram Pen. citat.*

Idem Iuris denique in ſtipulatione cuiuſcunque monetæ genericæ, 97 non tantùm ſimpliciter, & abſolutè, ſed etiam relatiuè ad certã quamlibet ſpeciem conuentæ, vt dictum eſt, cum quis ſtipulatur 100. libras Genuæ, aut ſcuta Romæ in tot duplis, vel tot duplas cõſtituentes centum libras Genuæ, aut ſcuta de decem iulijs Romæ, vel alia conſimili forma. Quod idem eſt ac ſtipulari ſpeciem ad rationem generis, eamque ſecundùm eius quantitatem æſtimare; Quo caſu proindè, ſicut in præcedentibus, omnes vnanimitèr ſentiunt eam æſtimationem, & non maiorem, vel minorem in proba moneta, & ſub valore currente ſoluendam. Sic in *tract. diuerſ. Ioann. Aquil. Theor. 8. Landen. nu. 28. Curt. n. 14. Brun. præſupp. 2. nu. 9.* communem opinionem referens *par. 5. num. 6.* eamque exponens *limit.* 8. & latè *Rener. cap. 2. cit.* concilians DD. dicta *cap.* 5. & communem ſententiam eſſe, à qua non ſit temerè recedendum *cap. 6.* vbi poſt multas DD. auctoritates concludit in fin. *In iſtis factorum ſpeciebus habito reſpectu ad monetam ſolutionis tempore currentem, ſuperueniens augmentum, & decrementum numiſmatum cedere commodo, & incommodo debitoris.* Et quamuìs in eadem ſpecie, puta in ducatis ſolutio promiſſa fuiſſet, conſtanter ait *cap. 8. Dico tempus ſolutionis quoad valorem extrinſecum ducatorum omninò eſſe attendendum, augmentumq. & decrementum debitorem reſpicere.* Hancq. eſſe ab omnibus veteribus, & recentioribus receptam, & approbatam ſententiam,

L 2 latiùs

Digitized by Google

latiùs confirmat *cap.* 23. eamque plures allegando ſequitur *Sol. caſ.* 1. vbi, *ſi quis mutuo dedit centum libras in florenis*, vt dicit *Bart. in l. Paul. vel conſtituit* 100. *florenos Sabandiæ in dotem, quos ſoluit in tot aureis, vel ducatis, aut magna alia moneta argentea, tunc cum iſti aurei, & ducati dati ſint in ſolutum pro illis libris centum, vel florenis mille, ſiuè creſcant, ſiuè decreſcant in valore, id cedit damno, vel commodo recipientis, & eue-niente caſu reſtitutionis peti nequeunt, niſi centum libræ, vel mille floreni, non pecunia illa magnæ, aureæ, vel ducati, qui non ſunt in obligatione, ſed in facultate ſoluendi. Bart. &c.* Et ſubdit *caſ.* 2. *Si debitor velit ſoluere in illis aureis, vel ducatis, aut ſpeciebus monetarum, quas acceperat, & quarum valor extrinſecus auctus ſit, ſoluet pauciores, quàm acceperit, nec illa verba, quòd receperit in dictis ſpeciebus, quicquam operabuntur. Bart. in d. l. &c.* Idemque ſecundum omnium ſententiam latè ſequitur *Theſ. loco cit.* nullumque deberi augmentum; ſed illud cedere commodo, & incommodo debitoris, prout etiam teſtatur *Peregr. conſ.* 13. *lib.* 3. Ità obſeruari Venetijs, vt ſolutio fiat de moneta, quæ currit tempore ſolutionis, nulla habita ratione augmenti, concludit *par.* 1. *concluſ.* 8. Idemq. innumeros, & Claſsicos DD. adducendo defendit *par.* 2. *caſ.* 5. Sic etiam ex communi concordia Theologorum, & Iuriſtarum, ac Imperij conſuetudine concludit *Laym. nu.* 15. *cit.* Et ad omnium mentem nouiſsimè iudicauit *Senat Granat. diſp.* 13. vbi etiam *num.* 25. refertur, ità communiter ſolutiones omnium conſenſu in illis Regnis factas fuiſſe.

98 De ſpecie autem abſolutè, & abſque vlla pretij taxatione, aut alio peculiari pacto, vt cum quis præcisè ſtipulatur centum aureos, vel aliam certam ſpeciem, nihil de æſtimatione exprimendo; præterquàm quòd aliquando, vt dictum eſt ſuprà *nu.* 24. per certam etiam ſpeciem ſimpliciter conceptam ſoleat deſignari quæcunque quantitas in genere debitorum, vt de aureis, & libris Sabaudiæ teſtatur *Faber cap* 3. *cit.* de florenis argenteis Germaniæ *Laym. nu.* 11. de regalibus Hiſpaniæ *deciſ. Granat.* 21. *nu.* 24. Et de libra Florentiæ conſtat, quæ licet ſit certa ſpecies, vtuntur tamen communiter ad deſignandas ſortes cæterarum monetarum, ideòq. iiſdem etiam rationibus cum præmiſſa generica gaudeat; Pluſquam certiſsimum eſt ex communi DD. & Theologorum ſenſu *nu.* 74. & 75. ſuperiùs digeſto, in maiori, vel minori numero ſecundum varios, & currẽtes valores ad æſtimationis debitæ æqualitatem eſſe ſoluendam; ſola ſiquidem, vt ibi clarè viſum, æſtimationis, ſeù pretij æqualitas eſt per ſe in contractibus de eſſentia, & natura

Iuſti-

Iuſtitiæ, ad eamque ſemper tacitè, vel expreſsè conceptam, vt ad ſydus, (ſic loquente *Scaca*)& primam Iuris regulam (niſi aliàs iuſtè excluſam) reſpiciendum.

Sic ergò eſt quantùm ad hoc par ratio omnium prædictorum, cum omnes prædictæ contrahendi formæ (præciſa ſemper contraria conuentione) ad æſtimationis æqualitatem reducantur, ſiuè ea expreſsè modis præſcriptis, ſiuè tacitè fuerit contracta. Propter quòd etiam æquè rediguntur omnes ſub eodem titulo, videlicet obligatione generis, cuius certam, & perpetuam eſſe æſtimationem, & quantitatem vidimus *nu.*33. Idemque ſatis ex allegatis conſtat, ac diſtinctè explicat *Layman. num.*15.*cit.* & plenè, conciſèq. ingerit *Faber cap.* 2.ibi, *Quod dici ſolet pecuniam debitam, neque perire poſſe, neque fieri deteriorem. l. Incendium ij. C. ſi cert. pet. Id verè dicitur de pecunia in genere, ideſt de quantitate ipſa pecuniæ; ſed non de pecunia, quæ in certa ſpecie debetur; hæc ſiquidem, & perire poteſt, & non eſſe in rerum natura. l. Si ſeruus* 108. *§. Qui quinque de legat.* 1. *ſimiliq. modo poteſt, & deterior fieri. Porrò debentur nummi in ſpecie non ſolùm ſiquis debeat centum aureos, quos habet in Arca, vt in dicto §. Qui quinque. Sed etiam quotieſcunque conuenit, vt reddantur in eiſdem ſpeciebus, tametſi mutuum, quod non niſi in ſpeciebus fieri poteſt, non ſoleat conſtituere quem debitorem ſpeciei, ſed generis tantùm; nam quemadmodùm, qui in dotem accepit ſpeciem æſtimatam non eſt debitor ſpeciei, ſed generis. l. Quoties* 5. *& l. Cum dotem* 10. *C. de Iur. dot. ſit tamen debitor ſpeciei, ſi conueniat, vt ſpecies æſtimata omni modo reddatur. dicta l. ſi inter; Ità, qui pecuniam ſimpliciter debet, ſit quidem debitor generis, etiam ſi æſtimata non ſit, quia ex ſua natura ſatis, ſuperq. à lege æſtimata intelligitur, vt de rebus omnibus in pondere, numero, & menſura conſiſtentibus. Bald. ſcribit ad l. res in dotem* 42. *ff. eo.* 99

Hinc ad omnes prædictas contrahendi formas; In æſtimatione ſumpta pro ſumma, & quantitate debiti, attendendum eſſe dicitur tempus contractus, quia nimirum ea vt certa, & perpetua, & non alia reddi debet; In æſtimatione verò ſumpta pro valore, & curſu, ſub quo monetæ ſunt enumerandæ, tempus ſolutionis, quia videlicèt ab earum currenti, & publico valore dicta ſumma, & quantitas debiti eſt extrahenda. Et ad hunc intellectum in terminis concordant DD. *Rener. cap.* 5. *cit. num.*8. *& alii ſuprà alleg. num.* 74. & 75. Neque aliud diſcrimen inter prædictas contrahendi formas interuenit, quàm quòd in ſimplici ſtipulatione monetæ puræ genericæ, vt ſcutorum, & librarum Genuenſium, quælibet vſualis, & proba moneta (viliſſima excepta) & ſecun- 100

dùm

dùm præſentem curſum abſque vllo reſpectu intrinſecæ qualitatis, de quanihil prorſus in contractu percipitur, ad ſummam debitæ æſtimationis, ſcutorum videlicèt, & librarum ſolui poteſt. Et ſic moneta generica, ideſt ſcuta, & libræ dicuntur eſſe in obligatione, & quælibet proba ſpecies in ſolutione, vt per DD. plenè declarat *Surd. conſ.* 335. *cit. nu.* 8. *&* 11. In ſtipulatione autem monetæ genericæ aliqua certa ſpecie argentea deſignatæ, vt ſcutorum de decem iulijs Romæ, eadem eodem modo ſolutio, ideſt ſecundùm pretia currentia in quauis moneta aurea, & argentea, non tamen iulijs inferiori ad ſummam æſtimationis, ideſt numeri dictorum ſcutorum debitam ſolui poteſt; & ideò hìc etiam moneta generica conſtituitur in obligatione, & aliæ ſpecies, licèt non omnes ob carentiam deſignatæ bonitatis, in ſolutione; hoc enim ſecundùm omnes DD. ſemper inter contrahentes tacitè actum videtur, vt debitum debeat functionem, ſeù ſolutionem in eadem bonitate, & qualitate recipere, prout rectè *Pompon. in l.* 3. *ff. de reb. credit. In contrahendo, quod agitur pro cauto habendum eſt; id autem agi intelligitur, vt eiuſdem generis, & eadem bonitate ſoluatur, qua datum eſt.* quod quidem directè ad æſtimationem, & valorem, indirectè verò etiam ad ſpeciem, & materiam refertur ob alios ſecundarios vſus quos ſuprà *nu.* 50. Idem omninò etiam in ſolutione ſpeciei, ſiuè tacitè, ſiuè expreſsè æſtimatæ, eadem enim ſumma æſtimationis temporis contractus in eadem, vel alia de conſuetudine vniuerſali, non tamen inferiori ſpecie secūdùm præſentem curſum in maiori, vel minori numero pro pretiorum varietate ſolui debet; & præter hoc, non obſtante vniuerſali conſuetudine, eadem ſpecies, etſi nō in eodem numero, ſi aucta ſit reddenda eſt, ſi ex alterius ſolutione creditor ſit damnum paſſurus, vt cōmuniſſimè ſentiunt DD cū *Paul.* 99. *ff. de ſolut. cit.* Propter quod etiam hæc intendentes variè ſe ſolent explicare DD. dicendo, Alij prædictam ſpeciem tantùm in ſolutione eſſe; Alij ſimul in obligatione, & vtrumque cum ſuis Aſſeclis aſſerit ipſemet *Bart.* primum in dicta *l. Paul. ff. de ſolut.* alterum in *l. ſi quis fuerit ſtipulatus* 10. *in mille, ff. eod.* Quos tamen ad rei veritatem conciliat *Brun. lim.* 8. vt dicatur eſſe in obligatione quoad ſubſtantiam, quatenus eiuſdem ſemper bonitatis, & in eadem ſpecie, ſi opus ſit, eſt neceſſariò reddenda, *per l.* 3. *ff. de rel. credit. l.* 99. *ff. de ſolut. &c.* In ſolutione verò quoad æſtimationem, quatenùs in ea ſecundùm communem, vt ipſe confirmat, & veram ſententiam attendendum eſt tempus ſolutionis. Vndè ſubdit *nu.* 5. *Per prædicta teneo, quòd ſi dictum fuiſſet. Do tibi centum libras in tot ducatis hoc*

pacto

*pacto, quòd reddas in Ducatis, quo caſu Ducati indubitanter eſſent in obligatione; nihilominùs ſolutio Ducati debebit fieri ſecundùm ualorem ſuum tempore ſolutionis*; Et clariùs ante eum *Bart. l. Paulus in fin.*, *Si fuit dictum, Depono apud te Centum libras in florenis hoc pacto, quòd reddas in florenis ſub eadem æſtimatione, tunc ſub eadem æſtimatione debent reddi; ſed ſi non eſſet dictum in eadem æſtimatione, debent reddi in æſtimatione communi, quæ eſſet tempore, quo debet fieri ſolutio*. Clariſſimè verò poſt vtrumque *Faber concl.* 15. *Longè aliud eſt trecentas libras accipere in centum aureis, longè aliud trecentas libras debere in centum aureis. Illo caſu debentur libræ duntaxat, eaque treſcentæ, iſto centum aurei. Sicut & aliud eſt debere trecentas libras in aureis centum, aliud debere in aureis ſimpliciter. Illo caſu centum aurei præcisè ſunt in obligatione, iſto tot duntaxat, quot trecentas libras efficiant*. Et ſic in hoc caſu, & ſimilibus communem regulam aſſerunt idem *Bru. part. 6. Rener. frequenter loc. cit. Theſ.* 1. *par. concl.* 8. confirmans de communi DD. & auctoritate Curiarum 2. *part. nu.* 43. *&* 49. & latè in terminis *Menoch. conſ.* 49. *& Surd. conſ.* 335. *cit.* augmentum, & decrementum ſuccedere ad commodum, & incommodum debitoris, ac ſatis eſſe ſi ſummam æſtimationis, putà ſcutorum, & librarum de tempore contractus inæquè bona moneta ſecundùm præſentem curſum integrè ſoluat; Sic etiam communi Iurium & DD, ſenſu probatum, & in praxi quoque communi vſu ſeruatū habetur in *Dec. Granat.* 13. 14. 17. 21. 22. *&* 24. Qualiter autē ſummæ prædictæ quantitas, & qualitas agnoſci debeat, ſupereſt in ſeq. diſtinctione declarare. Ad 5. Vniuerſalem ſit.

## Quinta Diſtinctio.

Scutum, & libra, & aliæ purè genericæ, & vniuerſales monetæ abſtrahentes à quacunque ſpeciali, & determinata materia, & tantùm concernentes determinatam æſtimationem, & valorem; differentèr ab alijs monetis, quæ materiam includunt, intelliguntur eſſe eiuſdem rationis, & valoris quandocunque conſtant eodem numero quadrantum, & denariorum, quibus vltima in ſua ratione, & valore conſtituuntur. 101

Eſt ſenſu, & ex omnium allegatis *nu.* 5. probatiſſima ſententia; Sic *Bart.* in terminis *l. Paul. cit. nu.* 7. vt plenè ſuprà *nu.* 26. *& ſeqq.* & formaliùs in *l. Nummis ff. de in lit. Iur.* Vbi ratione monetæ minutæ inuariabilis probat certam, & perpetuam eſſe nummorum æſtimationē;

*Bald.*

Digitized by Google

*Bald.* etiam dicens,quòd omnis quantitas eſt ſub genere eorũ, quæ in numero conſiſtunt,& quòd numerus & genus complectitur quantitatem cuiuſlibet materię,& formæ,vt ſuprà *nu* 74. *Io.Fab.*in proprijs terminis de ſolidis,& denarijs,vt infrà *n.*110. librarũ æqualitatẽ definiẽs. Sic etiam communitèr *Lauden. nu.* 33. concludens promittentes libras in denarijs poſſe ſoluere de qua pecunia velint. *Brun.* ſimilitèr *par.* 5. *num.* 6. *cum Bald. in l. ſiquis arg. in princ. C. de donat. & in cap. Quantò &c.* atteſtans communem opinionem promittentes mille libras Imperialium, qui vices denarij gerunt, in groſſis, ſufficere tantundèm dare de groſſis, ſi earum valor augeatur, qui compræhendant tòt Imperiales, quot in obligatione fuerunt. Quod etiam refert, & ſequitur *Rener. cap.* 6. Sic *Theſ.* huiuſmodi monetam imaginariam, inuariabilem, & immutabilem agnoſcens 1. *par. nu.* 24. in eaq. nullam poſſe conſiderari, neque intrinſecam, neque extrinſecam bonitatem *part.* 2. *nu.* 30. Eiusq. ſtipulationem fieri fauore Contrahentium,vt certum ſit pretium contractus, nec varietas communis, & ſolita monetarum attendatur, eademq. ſolutio ſemper fiat vniformis *nu.* 42. Quæ omnia proculdubio de libra, aliaq. huiuſmodi moneta generica verificari nõ poſſent, ſi certum alicuius materiæ pondus, aut ſpeciem aliquam determinatam contineret. Quod tamen ſecundum communem vſum remouet, *Fab. cap.* 8. *in fin.* referens, librarum appellationem nummi ſpeciem numericam, & numeralem potiùs, quàm ſpecificam conſtituere, eiusq. proprium eſſe, vt in qualibet proba moneta ſolui poſſit; Florenum verò, quem purè gènericum agnoſcit, certo quadrantum numero conſtitui, æſtimari, & ſolui etiam poſſe *concl.* 16. Et clariùs *Scacc.* de libra Genuenſi *gloſ.*3.*nu.*54. ſignificare, non pondus, ſed certum pretiũ, quod reperitur in valore aliarum monetarum, menſuratum, & definitum per certum, & determinatum numerũ denariorum, itàut paria ſint dicere libram, & 240. denarios. Idemq. in terminis erudita rationum, Iurium, Doctorumq. allegatione confirmat doctiſſimus *Menoch.conſ.*49. *& Surd. conſ.*335. Ac de facto ſeruari in Hiſpan. ad rationem, & numerum marauedinorum conſtat ex relatione *Molin. diſput.*278. *&* 312. *& deciſ.cit. Senat.Granat. à diſp.*12. *vſque ad* 24.

102 Hac certiſſima regula, & à priori, vt dicitur,ratione menſurandi, & cognoſcendi quantitatem valoris per minimam monetarum, vtitur etiam doctiſſimus Epiſcopus *Abulen.* quærendo de valore quadringentorum ſiclorum, quos Abraham Patriarcha dedit pro emptione agri

ab

Digitized by Google

ab Ephron in ſepulturam Saræ vxoris ſuæ *Geneſ.* 23. Vbi, vt ſuprà in terminis notauimus, poſita neceſſitate communis,& minimæ monetæ, per quam in quacunque terra cæteræ menſurentur, &ad quam, vt ad primam menſuram reſoluantur; alia quoque, ſed impropria, & incerta, & vt ipſe ait, à poſteriori, & circulari ſuperaddita ratione menſurandi valoris monetarum per res venales. Concludit euidenter primò. *In eadem terra impoſſibile eſt ſcire, vtrùm moneta aliqua, quæ nunc eſt, vniuerſalitèr, & determinatè ſciatur, ſi valet tantum, vel minus quantum aliqua, quæ præceſſit à magnis temporibus, & iam abolita eſt; quia ſi monetæ iſtę in valore menſurari deberent, neceſſe erat per vnum de duobus modis menſurari, ſcilicet, aut per illud numiſma minoris valoris, quod in vtraque includatur, vtrumque menſuretur, ſicut valor dupla, & floreni mẽſuratur per aliquam monetam communem paruam, ſcilicèt per albam incluſam in vtroque, aut menſuratio fiat impropriè per res venales. In neutro autem iſtorum poteſt fieri commenſuratio monetarum, ſcilicet eius, quæ nunc eſt, & eius, quæ à multis temporibus abolita eſt; primò quia iſta; & illa nunquàm habuerunt aliquam monetam communem menſurantẽ vtramque, cum non fuerint in eodem tempore; nec etiam poteſt commenſurari per comparationem ad res venales, quia iſta non manent in eodem ſtatu ſecundùm mutationem temporum, quia ſicut exiſtente eadem moneta, interdùm vna res valet duplum, quàm valere ſolebat, ità in temporibus diſtantibus variabitur valor rerum venalium, & non manebit medium vnum commenſurandi, & ſic impoſſibile erit commenſurari.* Itèm ſecundò. *In diuerſis Terris diſtantibus multum inter ſe, ſiue in eodem tempore, ſiue in diuerſo, non poteſt ſciri, quæ moneta ſit maioris valoris, quia inter Terras multum diſtantes non eſt communitas monetarum; In Regnis enìm propinquis, licèt monetæ ſint diuerſæ ad inuicem, tamen communicantur propter neceſſitatem commutationis, & ideò ibi ſciri poteſt, quæ magis, vel minus valet. In Terris autem diſtantibus non eſt commutatio per immediata genera monetę, ideò per monetam vnam æquari non poſſunt, nec etiam poterunt æquari per comparationem ad res venales, quia non res ęqualitèr vtrobique valent. Maior autem diuerſitas eſt, ſi iſta ſint in temporibus diuerſis, quia tunc magis tolletur vniuocatio monetæ menſurantis; ac etiam identitas valoris in rebus venalibus. Ex quibus infertur concluſio intenta, ſcilicèt, quòd impoſſibile eſt ſcire quantum de moneta noſtra valebat vnus ſiclus; Ratio eſt, quia non eſt cõmunitas alicuius monetæ paruæ menſurantis iſtam, & illam, nec etiam rerum ualores ſunt eodem modo.*

Omnis verò alia moneta, ſiue realis, & ſpecifica, ſiuè etiam generi- 103

ea per aliquam ſpecificam argenteam deſignata, etſi formalitèr,& ſecundùm æſtimationem ſumpta, eadem ratione, ac ſuperior in ſua ſpecie, & eſſentia conſtituatur, quatenùs, vel per prædictam imaginariam, vel per eiuſdem principia, quadrantes videlicèt, & denarios ſolet diffiniri, & menſurari; vt Iulij æſtimatio per 50. quadrantes, æſtimatio ſcuti de Iulijs decem per 500. Et ſic omnis noſtra moneta per plures, & pauciores denarios ſecundùm æſtimationis varietates,vt etiã expendit *Scacc. gloſ.* 3. *cit. nu.*24. Quod quidem, vt latè ſupra oſtendimus *nu.*26. *& ſeq.* neceſſarium eſt, & lumine naturæ inditũ, vt in omni genere aliquod primum,& minimum ſit menſura,& ratio cæterorum; tamen quia omnis huiuſmodi moneta præter æſtimationem, & pretium, certam etiam materiam in pondere concernit; ideò differentèr ab ea, quæ eſt purè generica, & imaginaria, ſuam rationem, & eſſentiam quantùm ad materiam, quam includit, tàm in quantitate, quàm in qualitate aliundè ſortitur. In quantitate enim communitèr menſuratur per Vncias, Drachmas,& Grana, & huiuſmodi ponderum genera; in qualitate autem, & pretioſitate aurum per diuerſos gradus ligæ, quos Charactos appellant, argentum verò per diuerſos gradus, quos Denarios vocant. Omnes etiam monetas aureas, & argenteas in marchas veluti in maſſam redigunt, quam certo auri, & argenti pondere, & pretioſitate conſtitutam diſtribuunt proportionaliter in plura indiuidua monetarum ſecundùm cuiuſque ſpeciei dignitatem,vt plenè recenſent *Brun.præſupp.*1. *Couarr. de Vet. Col.Num.cap.*2. *Scacc.gloſ.*3.*cit. a nu.* 1. *ad* 80. Et ſecundùm hanc formam optimè *Theſ.* liquidare docet augmentum ex materiæ deterioratione cauſatum. 1.*part. concl.*5. dicens *E.G. ſi tempore contractus Marcha groſſa pecuniæ currentis continebat ſolidos* 576. *tempore autem ſolutionis continet* 640. *debet Creditori liquidari augmentum ad rationem* 64. *pro ſingula marcha ſolidorum, ſi eiuſdem ſint ligæ; ſin deterior liga facta ſit,iſtud etiam augmentum conſiderari debet.* Alia igitùr eſt ratio æſtimationis, alia materiæ monetarum, vna in numero, altera in pondere conſtituta, per cuius diuerſitatem omnes ſpecies monetarũ materialitèr, vel formalitèr diſtinguuntur, & per eiuſdem proportionem ex communi vſu ad inuicem functionem recipiunt, niſi aliquid peculiare ad dictam æſtimationem, & materiam, ſpeciali conuentione Contrahentium diſponatur, vt per ſe ſatis, ſuperq. ex dictis conſtat, & clarè conciſeq. indicat *Filiuc. Tract.* 34.*cit.nu.*55. ſupponendo, *Pecuniam poſſe conſiderari, tùm materialitèr habita ratione ad materiam, ex qua conſtat, vt ſi ſit area, argentea, vel aurea,*

*aurea, quo pacto nummus argenteus ſpecie differt ab aureo; tùm formalitèr habito reſpectu ad ualorem, qua ratione idem eſt in ipſa valor, ſpecies, natura, & quantitas, omnia enim hæc conſiſtunt in numero quodam indiuiſibili, quo variato non eſt amplius eadem ſpecies, nec quantitas, nec valor, vt v. g. Iulius conſtat* 10. *obolis, quo variato per additionem, aut detractionem non eſt ampliùs eadem ſpeciès, nec valor Iulii, & ſic de aliis.*

Vtramque hanc certiſſimam, rectiſſimamq. rationem menſurandi 104. valoris, & ponderis monetarum mirabilitèr indicat etiam diuina Scriptura in illo præcepto Dei de ſolutionibus Sanctuarij. *Leuit.* 27. *Omnis æſtimatio ſiclo ponderabitur, ſiclus viginti obolos habet*; Vbi vt doctiſſimè exponit idem *Epiſc. Abulen. quæſt.* 64. *Non dicitur, menſurabitur, vel computabitur, ſed ponderabitur; quamquàm magis pertineat ad monetam computare, quàm ponderare; hìc tamen ponitur, quia Siclus erat moneta magni valoris, & de argento, vt patet hìc in littera; ſimiles autem monetæ habent valorem ſuum per determinatam figuram, & certam quantitatem ponderis. Monetæ autem minoris valoris, quæ ſunt de minus appretiatis metallis conſiſtunt ſolum in figura, & non curatur de pondere. Ideò de moneta auri, & argenti meliùs dicitur, quòd ponderabitur, quàm quòd menſurabitur, vel computabitur, de aliis autem monetis è contrario dicitur.* Ecce menſuratio materiæ in pondere; ſequitur menſuratio quantitatis in valore. *Siclus* 20. *obolos habet; hic ponitur determinata quantitas ſicli Sanctuarii, & dicitur, quod habet* 20. *obolos; Menſuratur autem quantitas ſicli per obolos, quia obolus eſt minutiſſima moneta, & quia hic ponitur menſura, & menſura eſt aliquid determinatiuum quantitatis per certitudinem, oportet, quòd illud, quod magis determinat, ſit magis propriè menſura; ſed miſſima magìs determinant, quàm maiora; ideò minima erunt menſura omnium maiorum, & ſic dicitur in* 4. *Phiſ. &* 10. *Metaph. Quòd minimum in quolibet genere eſt menſura omnium, quæ ſunt in illo genere. In monetis ergò ſic erit, quòd minores monetæ ſunt menſura maiorum, & minima moneta ſimpliciter eſt menſura omnium, & ipſa à nullo menſurabitur. Sed ſic eſt de obolo, quod erat inter Iudæos minima monetarum, ergò per ipſum omnia debebant menſurari, & ſic menſurantur hìc ſicli.* Ad ſextam Vniuerſalem ſit.

## Sexta Diſtinctio.

SI ſcutum, & libra, vel alia vniuerſalis moneta in obligatione 105 poſita à Principe varietur, itàut non ampliùs ſit eiuſdem, ſed maioris,

ioris, vel minoris numeri quadrantum, & denariorum, tunc quæcunque moneta ſoluatur, rationanda eſt ad ſcuta, & libras eiuſdem rationis, proùt erant tempore contractus.

Eſt omnium indubitata, & ex hactenùs digeſtis, ac maximè ex præcedenti diſtinctione neceſſariò deducta ſententia; hoc ſiquidèm naturalis ratio Iuſtitiæ, Gentium, Pontificia, & Cæſarea Iura poſtulant, vt in omni contractu tantundem eodem genere ac bonitate, adeòque æquiualens reddatur ei, quod datum eſt. Bonitas autem, & æquiualentia monetæ Genericæ, vt viſum eſt, non eſt aliud, quàm certa quædam, & in quacunque proba moneta, publicè concepta collectio quadrantum, & denariorum. Eadèm igitur, nec maior, nec minor eſt ſemper de Iuſtitia ſoluenda, vt eiuſdem ſemper rationis in valore, & bonitate ſoluatur; neque vlla hìc alia fingi, vel imaginari, vel aliò quocunque modo adſcribi poteſt intrinſeca, vel extrinſeca monetarum deterioratio, vbi nulla certa, & determinata materia concipitur, ſed quæcunque ſit publicæ æſtimationis capax, æquè, & indifferentèr ſubijcitur; quod ex omnibus quæ ſuprà *nu. 93. & ſeq.* declarauimus manet liquidiſſimè probatum. Et confirmant efficaciter, quæ ex communi DD. ſæpè allegauimus, ſtipulationem librarum, cùm ad nullius certæ ſpeciei obligationem referri poſſit, ſolui poſſe in omni proba, & vſuali moneta, atque in electione debitoris eſſe, vt in omni, ſemota viliſſima, ſecundùm præſentem curſum valeat ſe liberare, oppoſitumq. eſſe contra Ius, & contrà rationem, & vſum conſuetum, contrà communem ſententiam Claſſicorum, & Iudicia Tribunalium, quæ pro lege cuſtodienda ſunt; cum librarum appellatio numericam ſpeciem cõſtituat, cuius proprium illud eſt, vt in qualibet proba moneta ſolui poſſit, quæ reproba non ſit, & quòd in eius ratione, vel calculo ineundo, nullus reſpectus, aut proportio habeatur ad alias monetas, nulliuſquè proptereà obſiſtere quamcunque deteriorationem, cum nulla in obligatione ſit poſita. Idèm in terminis efficaciſſimè, quæ proximè ſubdidimus ex communi DD. promittentem libras in denarios, vel in certa ſpecie, vt in groſſis &c. poſſe ſoluere, de qua pecunia velit, aut tantundèm de groſſis, ſiuè creſcant, ſiuè decreſcant, quòt compræhendant numerum denariorum per libras importatum. Itèm libram eſſe monetam imaginariam immutabilem, & inuariabilem, in eaque nullam poſſe conſiderari neque intrinſecam, neque extrinſecam bonitatem, ob idq. in ea fieri ſtipulationes fauore Contrahentiũ, vt certum ſempèr ſit pretium contractus, nec vlla ſit monetarum variatio,

variatio,

Digitized by Google

riatio, eademq. ſolutio fiat ſemper vniformis ſecundùm intentionem, & finem inſtitutionis monetæ genericæ ex dictis ſupra *nu.* 21, *&* 22. & pleniùs *nu.* 93. *& ſeqq.*

106 Verùm, quia non omnis huiuſmodi moneta generica purè, & omninò abſtrahit ab omni determinata ſpecie, quia, & ipſa purè generica ad certam quandòque ſpeciem in ſtipulatione contrahitur, vt cum quis ſtipulatur centum ſcuta de decem Iulijs Romæ, aut centum libras Genuæ in cauallottis, & ſimilibus, quarum per conſequens ſpecierum quantitate, & qualitate ipſa moneta generica ſic contracta quodammodo afficitur, quatenùs in omni ſtipulatione, vt ſæpiùs per Iura notauimus, id ſemper agi intelligitur, vt tantundèm eiuſdem generis, & eadem bonitate ſoluatur, qua datum eſt. Idcircò in ipſa quoque moneta generica ratione huiuſmodi ſpecierum, vt notant communiter DD. *& Rot. in illa Forolìu. Cenſ. coram Iuſto, ſup. cit. & in Bergomen. Penſ. in dec. Buratti* 626. *&* 790. poteſt contingere, vt aliquam præmiſſarum variationum oporteat conſiderare, eamq. ad æqualitatem Iuſtitiæ reduci, vt ſi Iulij quibus ſcutum conficitur æris mixtione, & argenti diminutione deteriorentur, aut ſolidi, quibus libra componitur, minoris valoris efficiantur; quæ quidèm cum primam huic noſtræ Controuerſiæ originem ſuppeditauerint, quàm maximè præſtat euidenti, qua fieri poteſt, reſolutione declarare.

107 Suppoſitis igitur, quæcunque ſuprà *nu.* 89. ad contractus conditionatos de eiuſmodi moneta generica demonſtratiuè appoſita oſtendimus, nimirùm nulla illius conſideratione adhibita, eandèm ſpeciem in eadem bonitate, & numero ex ſpeciali conuentione eſſe ſoluendam. Hic ad contractus abſolutos, vbi præciſa omni conuentione, ex ipſa lege, & natura Iuſtitiæ pura æquiualentia pretij attenditur; communiſſimam DD. ſententiam eſſe dicimus, quòd ſi deteſtabili cuiuſuis improbi falſarij iniquitate aliquando contingat, vt ſpecies quælibet, quā moneta generica includat, enormi contaminatione corrumpatur, & ſic iniuſta, ob idq. inſtabili, & non duratura æſtimatione fraudolenter exponatur, in omnibus contractibus, tàm conditionatis, quàm abſolutis ſpecies debita eiuſdèm omninò, & primæuæ bonitatis, quantùmuis plus valeat, eſt de Iuſtitia reddenda, nec vllatenùs in noua adulterina, & deprauata ſolutio præſtanda; quin etiam ſi ab vſu illa fuerit ſublata, & ex contaminatæ introductione omnis alia proba ſpecies proportionaliter, vt neceſſe eſt, è ſua iuſta æſtimatione, & pretio exceſſiuè alterata, neglecto hoc indebito, & iniuſto pretio, in eadem ſecundùm iuſtā

æſti-

æſtimationem, & pretium, quod habebat tempore contractus, ordine, quo dictum eſt ſupra' *nu.* 89. ſolutio eſt facienda. Sic *in tract. diverſ.* innumeris Iur. Doctorumq. auctoritatibus, & Tribunalium ſententijs, diffuſiſſimè demonſtrant, *Brun. p.* 1. *&* 6. *& limit.*8. *Rener. cap.* 2. *Sol. caſ.*5.6.7. *&* 33. *Theſ. efficaciter p.p. concluſ.*3. 4. 5. *&* 6. *&* 2. *p. caſ.*5. Hic eſt enim caſus illius pernicioſi augmenti falſi, & apparentis, quod ſupra *nu.* 31. pluribus deteſtamur, ac in toto ſuo Tractatu inſequitur *Ant. Fab.* & inuictiſsimè ex Theol. *Laym. loc. cit. a nu.* 25. *in fin.* Vbi referens impia Caluiniſtarũ prauitate eiuſmodi perniciẽ terras Imperij inuaſiſſe, concludit ſecundùm omnium DD. ſententiam, in antiquis debitis ſoluendis ſpectandam eſſe bonitatem, ſeù intrinſecum valorẽ monetarum, quem habuerunt tempore contractus, non verò nouos adulterinos nummos eſſe ſoluendos, & è contra *num.* 26. Si valor earumdem deprauatarum monetarum excedens valorem bonitatis intrinſecæ diminuatur, & ad normam veritatis redigatur, conſequentèr etiam bonarum monetarum extrinſecus valor comparatione monetarum deprauatarum decreſcat; extrà omnem Controuerſiam eſſe, ſolutionem debitorum faciendam eſſe ſecundùm valorem intrinſecum vitiatum, quem monetæ habuerunt tempore contractus, ideòq. vitiatos nummos, quales dati fuerunt, non autem nouos intrinſecè meliores eſſe reſtituendos; quod multis, & inſolubilibus rationibus erudiiſsimè confirmat, quarum potiſsima eſt, quia excedens illa contaminatarum, & conſequenter etiam probarum monetarum extrinſeca æſtimatio, cùm ſit indebita, & iniuſta, nulla Imperiali Conſtitutione, nec Populi cõmuni conſenſu approbata, ſed improba fœneratorũ negotiatione per abuſum introducta, & per conſequens nõ duratura, pro nihilo habenda eſt in ſolutione ſpecifici, & legitimi pretij antiquorũ debitorum; eademq. ratione, cùm eadem ſit diſciplina contrariorum, & quòd operatur propoſitum in propoſito, operatur oppoſitum in oppoſito *l. ſi ex duobus &c. & l. ſecundùm naturam de reg. Iur.* Contractus in ea, & ſub eo enormi valore conditos, in eadem, & ſub eodem numero, quamuis deindè ad debitum valorem reformata decreſcat, eſſe ſoluendos, ac ſi nullus vnquàm extiterit indebitus ille valor, quẽ iniuſtè habuit tempore obligationis; Quæ omnia in praxi figurando latiſsimè, & peritiſsimè, vt omnem dubitationem auferant, extendunt præ omnibus *Theſ. & Laym. loc. cit.* Vbi, vt etiam perpenditur *in dec. Senat. Granat.* 13. *nu.* 24. *& ſeqq.* non aliud, quàm falſariam impietatem deteſtantur, ac de moneta non purè generica, ſed per certam ſpeciem defi-

deſignata, & per conſequens bonitatem intrinſecam reſpiciente determinant; ideòq. nullatenùs ex eorum dictis ſumi poſſe argumentum ad monetam purè genericam à quauis determinata materia omninò abſtractam.

Vt verum euidentiùs apparet, & falſi, ac deteriorati augmenti ratio 108
in aliqua ſpecie facti innoteſcat, nè cui fortaſſe Theologorum non conſiderata caſuum varietate, huius Theologi ſententiam ab vno genere in aliud, ſic ad noſtrum thema in torqueri poſſe videatur, præſtat eius textum paulò formaliùs expendere. Quòd ergò de falſo, & apparenti augmento ex argenteæ monetæ falſatione cauſato procedat, apertè indicat *nu.* 9 *Quia his noſtris temporibus Caluiniſtæ egregij in omni genere falſarij primò factitare aggreſſi ſunt, vt ex non magna argenti maſſa ingentem admixto cupro pecuniarum numerum conflarent*. Quòd autem ex ea falſatione valor bonarum monetarum apparenter ſit auctus ſubdit *nu.* 23. *Propter deteriorum monetarum frequentem percuſſionem, thalerorum bonorum valor multum auctus fuit &c. non ſecundùm veritatem, ſed extrinſeca, ſeù potiùs fictitia ſpecie*. Qualiter etiam tale augmentum introductum, & toleratum fuerit ſubijcit. *Hæc mutatio, ſeù deprauatio monetarum originem, & approbationem non habet ab vlla Imperiali Conſtitutione, nec à populo communem conſenſum, ſed improba præſertìm fæneratorum, & campſorum negotiatione per abuſum introducta, interìm toleratur, donec pecuniarum generalis reformatio in comitiis fiat*. & *num.* 24. *Inſtigante cupiditate paſsìm iuſto deteriores nummi cudi, & introduci ſolent, eorum autem conſideratione maiores, ac meliores monetæ augentur extrinſeco valore*. Quàm verò enormis, & iniuſta fuerit hæc mutatio oſtendit *nu.* 25. in augmento thaleri à duobus florenis ad 10. *Accidit, vt propter vitiatam materiam monetarum penè omnium extrinſecus valor Imperialis thaleri ſit in* 10. *florenis vitiatis, ac penè cupreis. Fuit autem hæc ingens mutatio monetarum propter bellicos tumultus nimis varia locorum, & temporum conſideratione, vt manifeſtiſſimè appareret nulla Imperij lege ſtabiliter introducta, diù durare non poſſe; nam in primis thalerus Imperialis comparatione minutiorum monetarum non immodicè deprauatarum valebat duos florenos, poſtea maiore facta deprauatione, tres, quatuor, ſex, octo, denique decem.* de ſeptuplo etiam addit *nu.* 26. *Id fateri coguntur, qui pro creditore reſponderunt eandem numero monetam, duplo plus valuiſſe die contractus, quàm valeat ſequente die, & ſeptuplo plus valuiſſe die contractus, quàm valeat anno ſequente*; ibiq. proceſſum tam enormis augmenti exponens. *Quauis res*, ait, *qualis ſit ex reſolutione oſtenditur; profectò, ſicut*

*in alijs rebus mundus decipitur, vt res vanas, & inanes, ob ſpecioſum titulum, & extrinſecum fulgorem magni aſtimet, ſed cum ad corruptionem, & amiſſionem declinare incipiunt, tunc earũ vanitas, & indignitas apparet; ità, & in monetis accidit, vt dum extrinſecum argenti fulgorem, atque impoſititium grandẽ titulũ, ſeù nomen floreni ſimplicis, duplicis gererent, magni fierent, & nõ modica merce digna cenſerentur; poſteà verò detrito argenti colore, & apparente interna inanitate, ac publica taxationis diminutione, omninò cõtemni cæperunt.* Proindè tam enorme augmentum, vtpotè iniuſtum diù durare non poſſe ſubijcit. *Arbitror impoſſibile eſſe, vt valdè enormis monetarum mutatio fiat lege iuſta, & ſtabiliter duratura, cum enormis aſtimationis inaqualitas ſit contrà naturam, inſtitutionem, ac veritatem nummi, atque cedat in Communitatis perniciem, & commerciorum omnium impedimentum, quorum tamen cauſa nummus introductus eſt.* Idem facto oſtendit *nu.* 28. *Scio factum eſſe vt homo pecunioſus, ac futurorum prouidus aliquot millia thalerorum Titio offerret in cenſum ea conditione, vt nullam is pecuniarum penſionem ſpatio quadriennij ſoluere teneretur, dempta tamen ipſi redimendi facultate; elapſo verò quadriennio cenſum annuum, vel ſi redimere vellet, ipſum capitale ſoluere cogeretur in pecunia eo tempore currente. Tum Titius veritus, nè tale pactum ſibi, & hæredibus ſuis obeſſet, re cum prudentibus communicata, tanquam iniquum reiecit.* Quod etiam ſic effectu ſubſequuto apparuiſſe refert *n.* 26. *Anno Domini* 1622. *Thalerus Imperialis aſtimabatur decẽ florenis vitiatis penè cupris, accidit autem paulò poſt ſub finem eiuſdem anni, vt deprauatarum monetarum impoſitiuus valor decreto publico dimidia parte minueretur, vt idem nummus, qui hac die valebat florenum, altera valeret medium, & qui valebat medium, valeret quartum &c. Porrò poſt hoc impoſititij, & arbitrarij valoris decrementum nummi adulterini cæperunt magis hominibus eſſe ſuſpecti, atque exoſi, vt nemo reperiretur, qui non mallet habere thalerum Imperialem, quàm quinque eiuſmodi vitiatos florenos, qui paulò ante nomine, ac ſtatu duplicati floreni gaudebant, ſed ob vitium deiecti erant.* Deniquè quadriennij ſpatio, tantam monetarum mutationem ortum, & interitum habuiſſe ſubdit. *Plurium Principum Imperij conſenſu thalerus Imperialis ad eum reductus eſt valorem, in quo fuerat anno Domini* 1618. *antequam tumultus bellici cæperunt.* Ex quo patet, quòd ab anno 1618. cæpit, & ſub fine anni 1622. ſublata fuit.

Quòd inſuper quæſtionem faciat in moneta non purè generica, & imaginaria, ſed ſpecifica, incerta, & indeterminata, ſeu per certam ſpeciem argenteam deſignata iuxtà vſum illarum Regionum, prout ſupra poſui-

poſuimus *nu.*24. Conſtat ex diſtinctione monetæ, quam pro quæſtionis ſolutione præmittit *nu.*11. *Alterum*, ideſt notandum. *In obligationem, ac debitum pecuniarium interdùm venit certa pecuniæ ſpecies, interdùm etiam pecunia incerta, & indeterminata. Exemplum primi, ſi alicui mutuos dedi decem thaleros Imperiales, eo pacto, vt etiam in thaleris ſolutio fiat. Exemplum ſecundi, ſi alicui mutuos dedi decem thaleros æſtimatos tunc 15. florenis argenteis, nam florenus argenteus Rhenanus apud nos in inſtrumentis debitorum apponitur, non vt certa ſpecies pecuniæ, ſed potiùs vt genus, ſeù æſtimatio, ac menſura omnis pecuniæ probæ, ac receptæ.* De moneta autem purè generica, & imaginaria nullam in toto capite mentionem facit, ſed conſequentèr ad præmiſſam diſtinctionem omnia exempla, & ſpecies facti recenſet in thaleris, ducatis, & florenis, quæ ſunt certæ ſpecies monetæ realis, in ijs tantùm quæſtionem mouet, & per ſeptem aſſertiones erudititiſſimè reſoluit. Quantùm verò diſtet inter purum genus, & ſpeciem ad modum generis oſtenſum eſt ſuprà *n.*100. & breuiùs naturam generis exprimit *Bald. in l. mutuum* 2. §. *mutui ff. ſi cert. pet. Genus complectitur quantitatem cuiuſlibet materiæ, & formæ.* Speciei autem ad modum generis. *Faber cap.* 21. *Certa quantitas per modum quidem generis, ſed quæ tamen nummi ſpeciem conſtituat, ſpeciei ſuæ naturam imitatur, nec differt à ſpecie, niſi quod ad ſoluendi facultatem pertinet, quoniam in aliis quoque ſpeciebus ſolutionem recipit.*

Ecce igitur quam benè in *dec. Granat.* explicetur huius Theologi 109
ſenſus, & quàm iuſtè diſtinguatur inter ipſius caſum, & noſtrum. In caſu ſiquidem ipſius agitur de augmento, non vero, moderato, & iuſto, Principis, & Populi communi conſenſu, & temporis maturitate recepto, & per conſequens ſtabili, & duraturo; ſed de apparenti, & falſo, enormi, & immoderato, nec in duplum, ſed in ſeptuplum ex falſatione monetarum penè omnium, hæreticorum, & feneratorum fraude inſtantaneè introducto, nullo Principis, aut Populi cõmuni cõſenſu recepto, & per conſequens iniuſto, inſtabili, & non duraturo, vt de facto fuit. Agitur etiam de obligatione non ad quantitatem in genere, ſed ad certæ ſpeciei bonitatem intrinſecam, licèt per modum generis, quà ità omnis proba ſpecies in facultate ſoluendi relinquitur, vt tamen non ſit inferioris bonitatis à ſpecie præſcripta. Quibus ſtantibus euidentèr concludit *nn.* 19. & 25. vti nos quoquè ſuprà *nn.*100. & 107. debita pecuniaria ſoluenda eſſe ſecundùm valorem, & bonitatem temporis contractus, non verò ſecundùm exceſſum, & prauitatem temporis ſolutionis. Quamuìs, quod ſummè notabile eſt in tanta euidentia



Digitized by Google

iuris,& facti, adhuc *nu.* 23. aſſerit, Contrariam quoque opinionem probabilem videri, & in aliquibus locis in praxi ſeruari, quam ſicut nec probat, ità nec omninò damnare audet; Quinimmò *nu.* 30. etiam fatetur ſecundùm rationem æquitatis partes ſi fieri poſſit ad amicabilem compoſitionem adducendas eſſe ob pacis, & concordiæ bonum, quod omnibus pecunijs perferri debet; idque *nu.* 31. Supremum magiſtratum ſecundùm æquitatis rationem Imperiali decreto decernere poſſe, atque decere. Et hanc eſſe ſuam ſententiam de monetarijs controuerſijs, & ſic à tribus annis reſponſa dediſſe, eo quòd alij conſcientia cruciarentur, quia nimis magnam pecuniæ ſummam reciperent, aut nimis exiguam redderent, alij verò mœrore affligerentur propter ingens damnum ex iniuſta ſolutione acceptum. Ecce prudentis Theologi iudicium in tam enormi caſu. Ex hoc ſatis intelligitur, quid in caſu noſtro iudicandum, in quo de augmento agitur non apparenti, & falſo, non enormi, nè dùm in ſeptuplum, ſed nec in duplum, non ex monetæ ne quidem vnius, ne dùm omnium falſatione, hæreticorum, & improborum fraude inſtantaneè introducto, non Principis, & Populi communi conſenſu reiecto, nec per conſequens iniuſto, inſtabili, & non duraturo, vt ſatis ex dictis, & de ſe conſtat. Profectò non aliud eiuſdem Theologi iudicio *nu.* 22. quàm, quia non eſt enorme nulla eius debet eſſe conſideratio, ſed ſolutio fieri debet in moneta currente, & ſecundùm valorem currentem, vt probat ex generali conſuetudine in pleriſque Prouincijs Europæ; Et quia eſt duraturum, vt potè communi populi conſenſu, & conſueto more receptum, impoſſibile eſt eſſe iniuſtum, vt probat ex communi DD. *nu.* 15. de quibus *cum Rebell. Mihi etiam,* ait, *incredibile videtur negare eos voluiſſe, ſi iuſta, & ſtabili lege, vel communi Populi conſenſu, & approbatione decernatur, vt moneta auctiore, quàm antè ſolebat, valore recipiatur, quominùs ſecundùm talem legitimam taxationem debitorum ſolutiones fieri poſſint.* Adde quòd plus eſt, agi de obligatione non ad certæ ſpeciei bonitatem intrinſecam relata, ſed ad quantitatem æſtimationis in genere, ſeu monetam purè genericam, quæ functionem recipit in quacunque ſpecie, & ſub quocunque valore currente, in quo proindè ſolutiones debitorum eſſe faciendas eſt communiſsima DD. ſententia, & probatiſsimus vſus Hiſpaniarum, aliarumq. Prouinciarum in hoc monetæ genere contrahentium, vt de ſe conſtat, & refertur in *dec. Granat. cit.* in quibus, vt viſum eſt, non obſtante caſu tam enormis, & iniuſti augmenti, non aliter ſaluatur huius Auctoris ſententia, quàm quia procedit

cedit

Digitized by Google

cedit in obligatione ad metalli pondus, & certæ ſpeciei bonitatem intrinſecam relata. Aliud autem ſentiendum de obligatione ad genus ſecundùm rationes, & iura allegata, *Quibus vt eadem deciſ.* concluditur *nu.25. Si benè notentur, Laymani non obſtant rationes, aut non ſatis ille veram Iuriſprudentiam ſubodorauit*. Hæc ad Laymani ſententiam in caſu enormis, & iniuſtæ deteriorationis monetarũ, cuius vbique gentium delendæ nullus alius Theologorum quæſtionem fecit, nec certè iſte faceret, niſi falſarios, & hæreticos in ea controuerſia perduelles haberet.

Aliud verò abſque omni controuerſia cenſendum, ſi iuſta, & rationabili cauſa, pro locorum, & temporum, aliarumq. circumſtantiarum opportunitate contingat, vt optimus aliquis, ac prudentiſſimus Princeps ad commune totius Regni bonum ſpeciem aliquam monetæ in valore intrinſeco aliquid detrahendo immutet, cæteraſque ſpecies in extrinſeco proportionaliter augeat, idque communi ipſius Regni conſenſu recipiatur, quia tunc proculdubio in pretio illo legitimè aucto, in eaque ſpecie valoris extrinſeci, licèt non intrinſeci, ac anteà, ſolutio debitorum foret ipſo iure admittenda, vt communi Iuriſtarum, & Theologorum ſententia ſuprà *nu.*74. & 75. manet liquidiſſimè probatum, & plenius adhuc in ſequentibus conſtabit. Sic etiam ſemper, & vbique in publico vſu receptum fuiſſe conſtat, quotiès de iuſta monetarum mutatione actum eſt, cum vana alioquin fuiſſet, quantumuis iuſta mutatio. Sic in Romana Republica bis imminuta ad dimidium moneta teſtatur *Plin. lib.33. cap. 3. Libræ pondus æris imminutum bello Punico primo, cùm impenſis Reſpublica non ſufficeret, conſtitutumque, vt aſſes ſextantario pondere ferirentur, ita quinque partes factæ lucri*. Item *Poſtea Annibale vrgente Quinto Fabio Max. Dictatore aſſes vnciales facti, placuitq. denarium ſexdecim aſſibus permutari, quinarium octonis, ſextertium quaternis. Ità Reſpublica dimidium lucrata eſt*. Proximioribus etiã temporibus in Regnis Hiſpaniarum poſt Ferdinandũ, & Eliſabetham, à Carolo V. Ioan. III. Philippo II. & Sebaſtiano, non parùm imminutam intrinſecè auream, & argenteam monetam, & extrinſecè auctam, atque in ſolutionibus communi vſu receptam, nè ob nimiam precioſitatem immodicè ab exteris extraheretur, latiſſimè refert *Molin. diſp.* 400. Certum eſt enim poſita iuſta cauſa illud *Io. Fabri tit. Inſtit. Quib. mod. toll. obligat.* quem ſequitur *Brun. part. 1. nu 7. Rener. cap. 1. num 7.* Et veriorem, ac probabiliorem ſententiam fatetur *Menoch. conſ. 49. nu.42.* & alij poſt ipſum communitèr, *Quòd Princeps habet poteſtatem*

*in talibus,& ad ipſum pertinet dare curſum, & valorem moneta, vt apparet in l.2.reſp.2.in prin.C.de falſ.mo. Igitur conſtitutio, & ordinatio ſua ligat; ſatis autem conſtituit, ex quo ordinat, quod 12. denarii valeant ſolidum,& 20.ſolidi illius monetę libram,& ei dat curſum pro legitima.* Idem latè in *deciſ.Granat.12. vbi nu.23. Principis auctoritas, & poteſtas adeò prævalet, vt metalli æſtimationem occultet.* & vt probat etiam *Agricol. lib.1.de pret.metall.ſales nummi ſemper habiti ſunt boni*, quod etiam de facto in Regnis Hiſpan.ſuo tempore oſtendit *Bannes loc.ſuprà cit.dub.6. fin. Eſt manifeſtum exemplum, quod in Regno contigit, erat enim pecunia quadam, quæ vulgò dicebatur taria de à veynte. Erant alia taria, vt ità dicam, quæ dicebantur taria de à diez, quæ quidem duplicata tanti æſtimabantur in ratione pecuniæ,ſicut vna taria de à veynte,tamen in ratione ponderis nõ habebant tantũ argẽti,ſicut las tarias de à veynte.* Nec intereſt eo caſu,ſed in idem coincidit,ſiuè moneta extrinſecè augeatur,ſiuè intrinſecè minuatur, ſiuè altera ſimul extrinſecè augeatur, & altera inſecè minuatur, vt proportio ſeruetur, cùm iuſtum, *vt 5.eth.* definitur, æquè vnius adiectione, ac alterius ſubtractione ſtatuatur; Ideoq.ſimile ferendũ de vtroq.iudiciũ.Quare cõmuniſſima DD.ſententia de extrinſeco augmento ſimul etiam immediatè procedit de intrinſeco decremento, quandò æquè vtrumque eſt iuſtum; Quinimmò idem omninò eſt quoad effectum ſolutionis,quia tàm ſi moneta intrinſecè minuitur, quàm ſi extrinſecè augetur,idem omninò ſoluitur tam in pondere, quàm in valore, cum plures monetæ intrinſecè, & extrinſecè viliores æquiponderent paucioribus intrinſecè,& extrinſecè melioribus. Vndè ſicut Imper. Ferdinand. I. teſte *Layman. nu.15. Anno Domini 1559. in Comitijs Auguſtæ,florenum aureum ſinè ſui intrinſeca mutatione tribus crucigeris auxit, & poteſtatem fecit debitoribus eo valore auctiore debita ſua diſſoluendi*; Ità potuiſſet eundem florenum, vel aliam monetam præcipuè minutam, ſine extrinſeca mutatione intrinſecè cum moderamine diminuere, cæteraſque ad proportionem extrinſecè augere; Quia nimirùm extrinſecè augere, & intrinſecè minuere æquipollent. Quamquàm rarò, nec niſi cogente neceſſitate eueniat, vt Princeps monetam minutam intrinſecè minuat,vt maiorem extrinſecè augeat ob rationes ſuperiùs poſitas *num.98.& ſeqq.* Quare nec facilè eiuſdem augmentum præſumendum eſt ex illius deterioratione prouenire, cum de facto alijs de cauſis, de quibus ſupra *num.50. & ſeqq.* abſque omni prorſus deterioratione contingat; & quando etiam talis deterioratio ſuccederet, nec ea repente, & temerè iniuſta, vel ex ea augmentum procede-

re

Digitized by Google

re eſt iudicandum, ſed vt optimè, & prudentèr poſt *Lauden. num.* 20. perpendit etiam *Rener. cap. 2. nu. 35. Vti groſſa pecunia propter deteriorationem minoris aliquando creſcit, eodem modo etiam non rarò propter excellens augmentum, uel decrementum groſſarum creſcit, uel decreſcit pecunia minuta, & ego idem aliquando obſeruaui*. Vndè nec temerè, nec facilè in Principem ſuſpiciendũ, cum ſæpè videntur monetæ maiores extrinſecè augeri; & minores quandòque intrinſecè diminui, vt proportio ſeruetur; maximè cùm maiores impenſæ, ac ſumptus in conficiendis iſtis minutioribus ſortibus; quàm grandioribus requirantur, vt latè *Brun. Præſupp. 1.* Quapropter, vt etiam concludit ipſe *Rener. cit.* nec temerè, nec facilè à communibus regulis eſt recedendum; vt nimirum in contractibus abſolutis omnis proba, & communiter recepta moneta ſoluatur ſecundùm valorem currentem tempore ſolutionis. Et vbi de aliqua certa ſpecie fuerit expreſſum, eadem, eiuſdemq. intrinſecæ bonitatis, vel alia intrinſecè æquiualens ſecundùm tamen valorem currentem tempore ſolutionis; quia ſemper ex natura contractus ad æqualitatem pretij id agi intelligitur, quòd etiam eiuſdem generis, & in eadem bonitate reddatur, quòd datum eſt.

Omnia autem hæc de contaminatione monetarum à moneta purè 111 generica, & abſolutè concepta, totalitèr abdicantur, cùm ea ad nullã certam ſpeciem coarctetur, ſed ad omnem, ſiuè pretioſam, ſiuè vilem, auream, argenteam, vel æream indifferentèr, & æqualitèr extendatur, nihil materiæ concernens, ſed tantùm in ratione numeri omne pretium ſignificans; in ipſis quoque æreis ſolidis 20. quibus deſcribitur purè reſpiciens valorem duodecim denariorum in ſingulis, ex quorum denariorum 240. ſicut numerus ex tot vnitatibus conficitur, & veluti numerus ſemper inuariabilis exiſtit, vt plenè ſuprà *nu.* 31. & infrà *nu.* 124. *& ſeq.* ſubijciemus. Quare in quacunque, & cuiuſuis ſpeciei moneta ſecundùm quamcunque æſtimationem, neceſſe eſt eiuſdem rationis in ſua bonitate ſoluatur ſemper, ac eiuſdem valoris ſolidorum, ideſt quantitatis numericæ 240. denariorum calculatur, proùt erat tempore contractus; Quod iàm rationibus, & auctoritatibus liquidiſſimè demonſtrauimus in quarta diſtinctione, ac vſu vbique receptum in Hiſpanijs ad rationem marauedinorum teſtatur. *Molin. diſp. 278. nu. 7. Quando lege, pacto, aut quauis alia ratione conſtitutus erat valor aliquis expreſſione alicuius monetæ, vt quòd ſoluerentur tot ſolidi, tot ſcuta, aut Ducati, ſanè variatio pretij, quæ poſteà fit illius monetæ nihil mutat de valore, & pretio antiquo, lege, contractu, aut alia ratione ſtatuto, idq. ſine*

Digitized by Google

*ſiue moneta in ſe non variata pretium illius augeatur, aut minuatur, ſiuè ſeruato eodem pretio in moneta, ipſa quoad charaƈta, aut pondus mutetur, vt vſu vbique eſt receptum.* Item *diſp.312.nu.6. Idq. confirmat vniuerſalis Hiſpaniarum vſus. Etenim, neque in Luſitania, neque in Caſtella, neque in aliquo alio Hiſpaniarum Regno, quòd ſciam, vlla eſt hodiè moneta, qua ducatum valeat, hoc eſt 11. regales argenteos, & vnum marauedinum in Caſtella, aut quadringentos reais in Luſitania, eo quòd aureus ducatus antiquus accreuerit in Hiſpanijs quòad valorem, vt in materia de Cambiis explanabitur, & tamen debita antiqua tot, vel tot ducatorum, ſiuè ſint Cenſus, aut quicunque alij annui redditus, ſiuè quacunque alia ſoluuntur in valore antiquo Ducatorum quòad antiquum valorem, cùm tamen hodiè nullus nummus ſit, qui eum valorem habeat, quod fit, vt in contractibus, & vniuersìm in debitis perſoluendis ſolùm habeatur ratio valoris antiqui monetarum, vt ad æqualitatem eius valoris debita perſoluantur, non verò numeri ipſarum monetarũ. Et diſp. 400. nu. 20. Nummus ageus, quir eas in Luſitania dicitur eundem valorem retinet, ſiue moneta aurea, & argentea euehantur, ſiue deprimantur in valore ad effectum, vt eo ſoluantur ſummæ aureorum, aut aliorum nummorum, quæ debebantur. Et diſp.407.nu.2. Cùm nulla ſit hodiè aurea, & argentea moneta, quæ præcisè valeat trecentos ſeptuaginta quinque marauedinos, ad hunc vſque diem hic valor ducati perſeuerat in quibuſcunque monetis ſit ſoluendus, quia ſi in Cambiis, aut in quacunque alia negotiatione, vel conuentione mentio hodie de ducato fiat, neque aliud exprimatur, valor ille intelligitur ſoluendus in valore trecentorum ſeptuaginta quinque marauedinorum;* Eamdemq. omninò quantitatem, & ſummam valoris, communitèr, & in Iure vocatam æſtimationem antiquam, valorem contractus, vt ſuprà declarauimus *nu.* 81. in quacunque diſpoſitione, & quocunque caſu mutationis ſoluendã de cuiuſuis ſpeciei moneta abſque vllo reſpectu ad numerum monetarum, ſeu valorem, quo numeratæ fuerunt communi omnium Iuriſtarum, Canoniſtarum, & Theologorum conſenſu vniuerſalitèr concludit, & probat *Rebell. 2. p. lib.2.q.15.nu.12. Vltima Concluſio, quandò ab initio in contractu Mutui, Cenſu, Cambio, Emptione, & quouis alio contractu, ſiuè diſpoſitione, vt in teſtamento, legato, penſione, tributo, ſalario, vel pœnis pecuniarijs per legem ſtatutis, & cæteris, non exprimitur, vt pecunia deſignata materiæ, ac forma ſoluatur, nec quidquàm ſuper incremento, decrementoue declaratur, ſolui debet valor, quem pecunia habebat tempore talis contractus, ſiuè diſpoſitionis, ſiuè ipſius pecuniæ valor poſtea creſcat, ſiuè decreſcat, tàm intrinſecus, quàm extrinſecus,*

*cus, quia ex vi contractus transferentis dominium facta est eius, cui traditur, ergò eiuſdem debet eſſe commodum, & incommodum, atque adeo incrementum, & diminutio valoris, alioquin non ſeruaretur aequalitas inter Contrahentes, quæ ex vtraque parte ſeruanda eſt ad Iuſtitiam contractus.* Hoc etiam directè, & proprijſſimè concludit communiſſima ratio, tum Iuriſtarum, cum Theologorum de augmento extrinſeco ſuprà poſita *nu. 74 & 75.* quia cum moneta purè generica nihil aliud in ſua ratione importet, quàm extrinſecum valorem, in eo tantùm attendi poteſt æqualitas, & ſecundùm eum regulanda eſt, vt ſeruetur Iuſtitia contractus. Sic etiam confirmat *Faber loc. cit.* & nuper, ac pleniùs confirmatur in *dec. Granat.* vt mox in terminis videbimus.

Nec vllus poteſt imaginari caſus, in quo talis ſolutio non ſit de Iure admittenda, ſub eo prætextu deteriorationis monetarum, quamuis alia ratione longè diuerſa, eius dilatio iuſtè quæri poſſet, ſi de reprobatione deteriorum monetarum, ac de imminutione, & reformatione pretiorum publicè vociferaretur, vt per *text.* expreſſum, *in l. Creditor oblatam* 102. *ff. de ſolut. & l. qui decem* 72. *ff. eodem*; quia tùnc pretiũ illud periturum, cùm penè ſemimortuum eſſet, pro iàm non exiſtente, & mortuo haberetur, ac liberare debitores non valeret, qui verum, & ſanum pretium, & ſtabile moraliter ſoluere tenentur; pecunia enim reproba ab obligatione non liberat *l. eleganter* §. *qui reprobos ff. de pignor. actio.* Et in hoc caſu cùm immineret monetæ diminutio ſic valoris in parte reprobatio, pro iàm diminuta, & reprobata haberetur, quia, quæ de proximo fieri expectantur, pro factis habentur *arg. l. pen. ff. de milit. teſtam.* vt in praxi deciditur *dec. Granat.* 13. *& ſeqq.* in Regnis Hiſpaniarum, cum de monetarum reformatione ageretur; ſub qua etiam limitatione, aſſertionem ſuam concludit *Layman. num.* 25. addendo, vt ipſemet ait, voculam *præſertìm non duraturam*, annuendo ad imminentem reformationem; Et eſt communis ſententia DD. Cũ *Bart. in l. Paul. cit. nu.* 9. *Vnum tantùm uolo te ſcire, ut augmentum, uel diminutio æſtimationis monetæ, quæ modico tẽpore dùrauit, ut una die, duabus, uel pluribus non eſt attendenda.* Cuius mutationis, non leui ſuſpicione ſublata, indubitabile eſt monetam genericam ſimplicitèr, & abſtractè ſtipulatam, in omni proba, & recepta moneta ſecundùm valorem currentem eſſe recipiendam. Sic ſimilitèr ſi fuerit ad certã ſpeciem contracta, modò non impia contaminatione deterior ſpecies, ſed eiuſdem generis, & in eadem bonitate reddatur; vel ſi ea non ſit, in aliqua proba ſpecie ſecundùm iuſtum valorem currentem, vel ſi conta-

tami-

taminatio præceſſerit, ſecundùm eum, quem habebat tempore contractus, ideſt immediatè ante contaminationem, vt expoſitum eſt ſuprà *nu.* 80. non autem ſecundùm nouum, & iniuſtum, quem ex prædicta contaminatione ſuſceperit, ſic plenè conſtat ex dictis, & adhuc pleniùs conſtabit ex dicendis.

113 Hinc mira depræhenditur in huiuſmodi moneta generica DD. concordia, dùm eam conſiderantes ſimplicitèr, & abſtractè ſtipulatam, imaginariam, perpetuam, immobilem, & immutabilem iactant, numeralem potiùs, quàm ſpecificam, omnis deteriorationis intrinſecæ, & extrinſecæ expertem, & in quacunque proba, & currenti moneta, ſecundùm communem curſum expendibilem, & numerabilem: Eandem verò ad certam ſpeciem contractam, vel per aliquam certam ſpeciem deſignatam, cum ipſamet ſpecie intrinſecè, & extrinſecè variabilem, nec in omni proba, & currenti moneta reddibilem, ſed in certa tantùm, & determinata eiuſdem generis, & bonitatis de tempore contractus. Sic ſæpiſſimè *DD. in Tractat. Diuerſor. Brun. Rener. Theſaur. Faber,* & pluribus Conſilijs *Surd. conſ.* 335. 368. 392. 406. *&* 454. Sub diſtincto ſenſu indicant manifeſtè procedere, ſecùs excuſari non poſſent, quin ſibi apertè contradicerent; Iiſdem præmiſſis concordem DD. mentem optimè declarat in caſu noſtro. *Scacc. §.2. Gloſ. 5. citat. nu.* 145. vt infrà in terminis videbimus *nu.* 139.

114 Hæc omnia nouiſſimè his noſtris temporibus communi Hiſpaniarum vſu ſeruata euidentia rationum, & concordi DD. auctoritate corroborans ſemper iudicauit Regius Senat. Granat. in omnibus Deciſ. ſuper hac Controuerſia augumenti monetarum promulgatis, vbi nihil obſtante, quòd illuuies adulterinæ pecuniæ omnes portus Hiſp. ab anno 1602. Rebellium Septentrionalium fraudibus inundauerit, probarumq. monetarum valorem immodicè auxerit; Adhuc debita omnia quantitatis in genere, ducatorum, regalium, & marauedinorum multitudine deſignatæ, in omni vſuali moneta ſecundùm pretia currentia mandat eſſe ſoluenda; ſecùs autem debita ſpeciei ſub eadē æſtimatione ſpeciali conuentione reddendæ. Sic latè *diſp.* 13. vbi *nu.* 24. *& ſeqq.* ad prædicta conciliantur DD. dicentes in deterioratione minutæ monetæ, valorem maiorum eſſe ſoluendum ſecundùm tempus contractus, eos loqui, quandò contractus reſpicit valorem intrinſecum, non vero extrinſecum. Et ſubditur *nu.* 25. ***Etiam in nummis, qui intrinſeco ualore conſtant, ut aurei, uel argentei, ſi circa eos obligatio contrahatur non reſpiciens intrinſecam æſtimationem, nec ualorem, ſed extrinſecam***

*ſecam, ut ſi mille regales argentei mutuo dentur pro 30004. marauedinis, aut unus aureus æſtimatus 400. marauedinis, ut illa quantitas marauedinorum in obligatione comprahendatur ad hos nummorum numeros, uelùt æſtimationem collatione facta; tunc licèt aureus augeretur in marauedinorum ualore, ut uerè Anno 1612. apud nos 400. marauedinis auctus fuit, ſufficiet illos ſoluere marauedinos iuxtà eorum ualorem, qui in aureis tempore ſolutionis continetur, etſi numero minùs aureos contineat, quià obligatio non reſpexit aureorum materiam, & corpora, ſed illorum impoſititium ualorem, & quantitatem; & ità Annis præteritis circà aureos ſolutiones communitèr omnium conſenſu factæ fuerunt; Secùs autem erit, quando cõtractus reſpiceret metalli pondus, & qualitatem, aut nummorum certam ſpeciem.* Et ſic rurſùs conciliatur communis Interpretum ſententia, & ſolutis obiectionibus ea diſtinctio generis, & ſpeciei communiſſima oſtenditur. Item in cauſa Depoſiti *d.* 14. *nu.* 30. *Cùm communiter in hac Vrbe valor pecuniæ ex marauedinis conſtituatur, quæ moneta hodiè non extat, ſed eſt imaginaria ad pecuniæ æſtimationem, nec tàm nummus marauedinus cenſetur, quàm nummorum numerus. Couarr. Sal. Molin. &c. & in varÿs monetis Italiæ, & in nôſtro ducato, qui apud nos non extat, & imaginaria moneta eſt explicat Scacc. &c. Et in obligatione exprimi marauedinos non pertinet, vt obligetur debitor ſoluere in eis, ſed vt ſciatur quantùm debeatur; Ideò non poteſt ad ſpeciem referri &c. Et ſuccedit regula, vt cùm moneta, quæ in obligatione comprahenſa, vt imaginaria ducatorum in noſtra ſpecie non inuenitur, tunc debet fieri ſolutio in moneta currenti, valore ad illam proportionaliter relato.* Et ità à Senatu deciditur *nu.* 34. Et communem ſententiam de intrinſeco valore attendendo, ad tempus contractus, nihil ad hunc caſum facere pro certo ſupponitur *nu.* 81. cum eruditiſſimo neoterico Carranza, qui de monetarum collatione diſcurſum Regi dicauit, in quo 4. *par. cap.* 1. §. 7. *punct.* 2. 3. & 4. abſque diſtinctione valoris intrinſeci, vel extrinſeci ad tempus ſolutionis monetæ valorem referendum probat innumeris, tàm ex Iuriſconſultis, quàm Theologis. Idem *d.* 17. *nu.* 20. & cùm Senatus deciſione *d.* 21. *nu.* 24. *In hac Controuerſia noſter Senatus, cùm multa occurrerent ſimiles diſceptationes, quandò ageretur de mutuo, aut alio contractu de argenteis nummis, vel aureis receptis, tunc conſtantèr, Creditore recuſante, in eius fauorem decreuit, non compellendum aroſam pecuniam recipere; In alÿs verò contractibus, vbi pretium tot Marauedinorum, Quadrantum, aut Regalium conuentum, quandò nihil ſpecialitèr de genere, & materia pecuniæ adiectum de quacunque currenti moneta*



Digitized by Google

*ſolutionem poſſe fieri ſtatuit*. Et tàm de debito ex promiſſione, quàm etiam rei creditæ pretio. *d. ead. num.* 27. *Cùm ex nummis non contracta obligatio, ſed rei credita pretium ſtatueretur, aut alitèr ſolùm de pecunia praſtanda, quis obligatione comprahenderet, nihil de pecuniæ qualitate expreſsè cautum, tùnc quia ſolùm ad eius praſtationem obligatio reſpicit, quacunque currenti etiam moneta aroſa poterit obligationi ſatisfieri. Et ità pluriès Senatus decreuit*. Itèm generalitèr *d.* 22. *nu.* 4. *Quandò aureorum, ducatorum, vel regalium quantitas obligatione continetur, regularitèr ſufficit praſtare æſtimationem iuxtà proportionem, & valorem, in qualibet Prouincia taxatum, vt poſt Bart. Laud. &c. Quæ interpretum traditio certior, & firmior eſt ex communi, & regulari forma contrahendi obligationes in Hiſpania, qua fiunt ad ducatos, vel marauedinos, ſcilicet mille ducatorum, vel centum mille marauedinorum, quo caſu cùm iſta nummorum ſpecies potiùs ſint imaginariæ, quàm veræ, cùm ducatus, quatenùs continet* 11. *regales argenteos, & vnum marauedinum in Caſtella, vel quadringentos reais in Luſitania hodie non extet, & cum marauedinus non tàm ſit Nummus, quàm numerus, quo nummi æſtimantur, & non videatur has monetas obligatione contineri, ſed deſignare quid debeatur. Tunc ſuccedit regula a DD. approbata, vt in qualibet moneta currenti, qua ad alterius moneta valorem proportionabilitèr referatur, poſſit fieri ſolutio; Secùs autem, cùm expreſſo pacto ad certam ſpeciem ſolutio reſtringitur. Et nu.* 6. *Senatus decreuit, vt Conuentio, qua ad certam moneta ſpeciem obligationem reſtrinxit, ad vnguem obſeruaretur*, & infrà. *Pretij, & æſtimationis tunc admittitur ſolutio, quandò non ad certam ſpeciem auri & argenti diſpoſitio reſtringeretur; Nàm licèt quantitatis pretium, & æſtimatio per quodcunque genus pecunia poſſit diuagari, & quibuſlibet penſari nummis, tamen quandò ex omnibus pecunia ſpeciebus certa quadam a contrahentibus deſtinatur, & ad eam Conuentio coarctatur, nefas eſt, vltrà eam progredi, nec tunc ſolùm de quantitate, aut æſtimatione paciſcitur; ſed relata ad certam materiam, qua pacto comprahenditur, & eſt omnium concors ſententia*; Quæ quidem ſecundùm generalia Iurium principia eſt intelligenda, ſalua in omnibus peculiari cuiuſque Gentis conſuetudine, cui præ cæteris, vt ſubijciemus, perpetuò innitendum. Ad ſeptimam Vniuerſalem ſit.

Septi-

## Septima Diſtinctio.

OMnes prædictæ Concluſiones, & Diſtinctiones de Iure procedere cenſeantur vbi nulla multorum annorum ſpecialis Conſuetudo aliud in contrarium expoſcat, quia ea præcipuè in hac materia monetarum, præſertìm cùm priuatis perſonis, ſemper eſt æmulanda, & cuicunque ſtatuto, & generali conſuetudini præferenda. 115

Eſt generaliſſima limitatio, qua omnes DD. communiſſimè veluti Regula Iuris in Controuerſijs decidendis ſolutiones monetarum moderantur; Conſuetudo enim pro lege cuſtodienda eſt, & efficaciſſimè declarat voluntatem Contrahentium, ex qua Contractus legem accipiunt. *l.32.ff. de legi.* Triplex autem ſoluendi Conſuetudo agnoſcitur communitèr.

Prima Vniuerſaliſſima totius Mundi, ſecundùm quam vna pecunia poteſt ſolui pro alia, vt argentea pro aurea, & pro argentea, ære contaminata, eaq. ſeruanda eſt, niſi Creditor ex ſolutione damnum patiatur, vt plenè ſecundùm omnes DD. *Brun. Præſupp.2. nu.4. & limit.2. Rener. cap.15. Scacc. Gloſ.5. cit. nu.*104. Qua Creditoris indemnitate intelligit *Rot. ſup. cit. in illa Cremon. Penſ. coràm Orano*, ex generali Conſuetudine quàmlibet pecuniam in commercium receptam cenſeri poſitam in facultate ſoluendi; Et in alia *Cæſarauguſt. Penſ. coràm Gypſio*, ex quadam generali Conſuetudine poſſe ſolui æſtimationem monetæ, quæ eſt in obligatione, niſi videlicèt damnum patiatur. *per Tex. in l. Paul. 99. vbi DD. ff. de ſolut.* Damnum autem, prout idem explicat *n.*108. pati dicetur, non ex eo, quòd illa moneta ſibi non placet, & ideò in illius ſolutione diſſentit, ſed ex eo, quòd in illa ſolutione damnum patitur Patrimonij, puta ſi pro moneta breui cogeretur recipere longam, id eſt ponderoſam in longinquas partes iturus, quò difficiliùs transferretur, vel etiam tranſlata ibi minoris, quàm alia æſtimaretur. Itèm ſi conuenta pecunia egeret, quia eam alteri ſoluere teneretur, vel quia meliùs expenderetur, vel alicuius alterius emolumenti eſſet, cum pecunia præter vſum proprium multos alios vſus habeat impropríos, vt viſum eſt ſupra *nu.* 50. aliàs fruſtrà Creditores ſibi in contrario prouiderent de qualitate monetæ ſoluendæ. Vndè infert, Conſuetudinem hanc ſoluendi in alia ſpecie monetæ, & conſiderationem illã, cui innititur, videlicèt, ſi Creditor ex ſolutione damnum non patiatur, reddi inutilem, & inanem, quia non eſt dare caſum, in quo non 116

O 2 poſſit

poſſit conſiderari aliquod Creditoris damnum; & hoc quidem verũ, vbi certum eſt, quæ ſpecies ſit in obligatione, ſecundùm quod procedit *d.l.Paulus 99. Paulus reſpondit Creditorem non eſſe cogendum in aliam formam nummos accipere, ſi ex ea re damnum aliquod paſſurus ſit*. At in moneta generica quæ nullam habet formam, & in cuius ſtipulatione non conſtat de vlla ſpeciali moneta, nulla certa ſpecies eſt in obligatione; Sed omnes in facultate ſoluendi, atque adeò conſuetum eſt de qualibet moneta bona, & curſum habente ſolui, ità quòd ſicut fuit in electione Creditoris dare de qua pecunia voluit, ità ſit in electione Debitoris reddere de qua pecunia velit, modò viliſſimam non eligat, ſed mediocrem, vt notat. *Brun. nu.* 11. *Scacc. gloſ.* 5. *nu.* 120. & ſupra latè indicauimus *nu.* 95.

117 Secunda Conſuetudo minùs vniuerſalis eſt vnius Prouinciæ, aut loci, ſecundùm quam pecuniarum ſtipulationes, earumq. ſolutiones, peculiari, variaq. ratione iuxtà varietatem pecuniarum, & locorum regulantur; vt Mediolani per florenos boni auri, & iuſti ponderis conſuetudinem eſſe intelligendi florenos in moneta, referunt *Lauden. nu.* 30. *Curt.nu.*25.*& Brun.Præſupp.*2.*nu.*7. Idemq. per florenos argenteos Rhenanos in Germania *Laym. nu.* 11. Sabaudiæ verò per aureos, & libras ſimpliciter nominatos de qualibet moneta currente præter minutam; per florenos autem de qualibet moneta currente, etiam minutiſſima intelligi. *Faber cap.* 3. In Hiſp. quoque ex Conuentione Regalium, & ducatorum de quacunque currenti moneta, etiam minima ſolutiones fieri, *Senat.Granat.d.*21.*nu.*24. Et in Etruria ſub appellatione librarum, quæ ibi ſunt certa ſpecies realis, & effectiua, omnes alias ſpecies compræhendi compertum eſt; & ſic alibi alitèr ſecundùm alios contrahendi mores. Hæc autem ſecunda Cõſuetudo eſt efficacior prima, ſicut ſpecies genere, & poteſt abſolutè, quod prima, niſi conditionatè non poteſt; *Eſt enim vna maxima in Iure, vt in numeratione pecuniæ, eiuſq. ſolutione ſeruetur Conſuetudo Patriæ, Lauden.nu.*5. ſemper ſiquidem hoc videtur tacitè actum, vt ſecundùm Conſuetudinem loci pecunia ſoluatur, cui accommodare ſe Incolæ omninò tenẽtur; nec vlla cuiuſquam debet violari libidine; turpis enim pars omnis vniuerſo ſuo non congruens. *Cap.qua contrà mores* 8.*diſt.& cap. tuas de ſponſ. duob.& notat Ioan. Aquil.Theor.*9 *&* 10.*Brun.Præſupp.*2. *nu.* 17. *Rener. cap.*15. qui communem eſſe DD. ſententiam refert. *Cap* 20. *nu.* 12. Vndè vniuerſalitèr de omni ſolutione monetarum concludit *Sol. caſ.* 38. *per Bald.Hoſtien. & alios, ſi Conſuetudo alicubi ſit ſolutionem pecuniæ debitæ*

*debitę fieri ſecundùm valorem,& curſum temporis ſolutionis, illud tempus tunc ſpectandum eſt in quo omnes conſentiunt.* Nullus namq. eſt, tàm ex antiquioribus, quàm ex recentioribus, qui talem limitationē non commendet in materia monetarum,& tamquam primam,& vniuerſalem regulam ſolutionum non fateatur,ſiue extrinſecè,ſiue intrinſecè moneta mutata ſit, & ſiue etiam aliud quidpiam in Iure diſponatur. *Sic Bart. expreſſè in l. Paul. cit. nu. 5. Si tù dares monetam alterius materiæ, qua non eſſet eiuſdem ligæ de Iure poſſet Creditor licitè refutare, quia aliud pro alio inuito Creditore non ſoluitur; licèt de Conſuetudine obſeruetur contrarium in Ciuitate iſta, & in multis alijs; vt notat, in l ſi. quis argentum ff. de donat. Cui conſuetudini debemus ſtare; l. Imperatores ff. de contrah.empt.*Eandem doctrinam ſequuntur communiter Iuriſtę, & Canoniſtæ omnes *in cap. Olim de Cenſ.* & Theologi omnes *loc. cit.* vt poſt omnes declarat etiam *Duard. de Cenſ.tom.*1.§.3.*q.*6 *n.*32. Vbi generalitèr de quacunque obligatione tàm generis, quàm ſpeciei ait. *Siue moneta alterata ſit in bonitate intrinſeca, ſiue extrinſeca Conſuetudini loci ſtandum eſt, cùm Conſuetudo dicatur altera lex, §. ex non ſcripto, Inſiit. de Iur.nat.gent.& ciuil.* & *to.*2.*§.*5.*q.*7.*nu.*6. De obligatione certę ſpeciei. *Limitatur dicta Concluſio,nam,licèt moneta, vbi mutatur quòad bonitatem extrinſecam, pretium in redemptione Cenſus ſit reddendum in ducatonis, pròut valent redemptionis tempore, & moneta mutata quòad bonitatem intrinſecam, pretium ſit reddendum in Ducatonis, pròut valebant tempore Contractus; Nihilominùs ſi alitèr ſeruaretur in aliquo loco, vigore alicuius Conſuetudinis, tùnc attendenda eſt Conſuetudo, cùm ſit altera lex,& Contrahentes tacitè cenſentur contraxiſſe ſecundùm Conſuetudinem, loci, vt in l. quod ſi nolit §. qui aſſiduè &c. Panorm. & alij &c.* Neque enim quid poteſt contrà eam allegari, ſicut nec contra pacta Contrahentium, ex quibus contractus legem accipiunt; Conſuetudo quippe, & pactum firmiſſimum eſt, & pacta Contrahentium,non minus quàm verba declarat; vnde pro communi Regula recipitur,*Contractus ex conſuetudine loci Interpretationem accipiunt. l. ſi fundus. ff. de euiction.* ideoq. pro lege non immeritò cuſtoditur. *l.* 32. *ff. de legi. & l.* 35. *ff. eod. Quæ taciti communi vtentium conſenſu approbata ſunt, per tempusq ſtatutum obſeruata, veluti tacita Ciuium conuentio Conſuetudinis naturam ſortita, non minùs, quàm ea, quæ ſcripta ſunt Iura, ſeruatur*; Eſt autem longum tempus Ciuili Iure decennium iuxt. *tit. C. de præſcript. long. temp.* & DD. communitèr.

Tertia conſuetudo particularis, quæ aſſuetudo, vel aſſuefactio melius dicitur, & ſecundùm logicos habitus,eſt ſingularium perſonarum, 118

ſecun-

Digitized by Google

ſecundùm quam ad inuicem priuatas voluntates manifeſtant; quarè ſicut expreſsione verborum, ità cōtinuatione actionū accipitur forma contractus; parùm enim refert, ſiuè quis verbis apertis, ſiuè ipſo facto mentem ſuam declaret per *tex.l.ſi tamen §.ei qui ff.de edil.edicto*, & DD. communitèr, quos refert *Rener. cap.* 20. Hinc elicitur, in omni caſu, quo contrahentes nihil expreſſerint de pecunia aliqua, quæſtionem reſolui per ſolutiones longo tempore factas, ſiuè in moneta meliori, ſiuè deteriori, quia illa pecunia videtur fuiſſe in obligatione, in qua diuturna ſolutio fuit ſecuta. Sic per *Ang.Iaſ.& DD. in l. ſi certis annis C.de pact.per tex. Bart.& DD.in l. cum de in rem verſ.ff. de vſur. Ioan. Aquil.Theor.*10.*Curt.nu.*31.*& latè Brun.Præſupp.*2.*nu.*27.vbi *Si conſtaret de aſſuetudine, & modo ſoluendi ipſorum contrahentium, vel ipſarum particularium perſonarum; Reſpondi multotiès in facto de tali pecunia præſumi ſenſum fuiſſe per contrahentes, & quòd præſumatur talis fuiſſe promiſſio, qualis apparet ſubſecuta ſolutio. Et iſta particularis conſuetudo ſoluendi praualebit alijs coniecturis, ac generali conſuetudini, & Statuto.* Idem DD. congerendo *repetit.limit.*4. vbi ad concluſionem vniuerſalem de bonitate intrinſeca reddendam, generalem limitationem adhibens, *Fallit*, inquit, *prædicta Concluſio, quando longo tempore aliquis debitor certæ pecuniæ ſoluiſſet de pecunia minoris valoris, vel ſecundùm valorem temporis ſolutionis cap olim à contrario ſenſu cùm ibi not. gloſ. DD. &c.* Sic etiam perſæpè conſuluit celebre Collegium Papienſ, vt in *tract.diuerſ.* ex illa *deciſ.* famoſa *Bal.l.ſi cert.Annis col.*3 *C.de pact.* quod *talis præſumitur cauſa, qualis per effectum ſolutionis demonſtratur, & qualis apparet ſolutio, talis præſumitur præceſſiſſe conceſſio*, quod communitèr receptum aſſeuerat *nu.*4. *&* 5. *Vera, & indubitata eſt illa deciſio Ang. quòd talis præſumitur obligatio, qualis demonſtratur, ex diuturna præſtatione, & nu.*6. *ex longa præſtatione facta in moneta deteriori declaratur voluntas contrahentium ità fuiſſe. Cùm igitur præſumatur conuentio prædicta fuiſſe de ſoluendo in moneta vſuali, & currente tempore cuiuſlibet ſolutionis, ceſſat omnis difficultas, quia ſi à principio conuentum fuiſſet de ſoluendo in moneta currente tempore ſolutionis, nulla haberetur ratio bonitatis monetæ antiquæ, vt probat tex.in clem.final.de dec. &c.* Sequitur numeroſè *Rener. cap.*24. *Sol.caſ.*11. & communem eſſe opinionem, & iuxtà eam ſolere iudicare Senat.Pedem. teſtatur *Theſ.* 1.*par. nu.*67. *& par.* 2. *num.*77. Et infinitos enumerando poſt *Menoch.conſ.*49 *Surd.conſ.*335. vbi abſolutè *nu.*26. *Si quid dubÿ ſuberat, quomodò fieri debeat ſolutio, & de qua moneta, de quo valore, & cuius temporis æſtimatio eſſet attendenda, id omne ſublatum eſt per ſecutam obſeruantiam; obſeruantia enim declarat quid*

*actum*

Digitized by Google

*actum fuerit, & de qua moneta, & valore ſenſerint partes. l. Si de interpretatione ff. de legi.* Vndè ex communi *Cenc. de cenſ. cit. nu.* 31. *Non iuuat Creditorem deterioratio monetæ, ſi recepit ſolutionem in vna ſpecie pro alia abſque contradictione cap. Olim, & ibi gloſ. ext. de cenſ. &c. non ſolùm, quia volente creditore vna ſpecies monetæ in locum alterius ſubrogatur; verùm etiam, quia talis præſumitur facta promiſſio, & obligatio qualis oſtenditur facta ſolutio. l. Iul. &c.* Idemque in terminis iudicauit *Rot. coram Orano in Roman. pratenſ. dec.* 221. *In materia valoris monetæ talis præſumitur facta promiſſio, qualis oſtenditur facta ſolutio; & nulla poteſt eſſe melior declaratio, quàm ea, quæ ſumitur ex iis, quæ poſteà re ipſa, & longo vſu ſeruata ſunt. Et obſeruantia ſubſecuta, cùm contineat conſenſum vtriuſque partis, præualet ſtatuto, & conſuetudini generali.* Sic etiam iudicauit *Senat. Granat. diſp.* 24. *vbi nu.* 17. *Solutione ſubſequenti natura prioris obligationis explicatur. l. item ſi.* 7. §. *Proinde* 12. *ff. ad S.C. Maced. &c.* Qui vſus, & obſeruantia ſoluendi ſuffragatur, etiamſi fuerit modici temporis, & non præſcripta, quia eſt conſuetudo interpretatiua, quæ diuturnitatem temporis non requirit; præſcribitur tamen in conuentione generica, vbi de nulla ſpecie eſt certum, ſolutionibus per decennium factis; in conuentione verò ſpecifica, vbi certa eſt ſpecies debita, vt præſcribi poſſit, requiruntur triginta anni in priuato, & quadraginta in Eccleſiaſtico, vt plenè *DD. cit. Laud. nu.* 31. *Brun. limit.* 4. *Colleg. Papien. nu.* 10. *Rener. cap.* 24. communem deciſionem dicens, ſiuè ſolutio ſecuta ſit in moneta meliori, ſiuè deteriori, in eadem ſemper, vel diuerſa, modò ſemper in currente moneta, & ſecundùm valorem currentem tempore cuiuſlibet ſolutionis, per quod attenditur vniformitas ſolutionum requiſita ad præſcriptionem. Idem *Menoch. conſ.* 49. *Surd. conſ.* 335. *Cenc. loc. cit.* & comprobat *Rot. allegata coram Orano dec. cit.* vbi *nu.* 4. *Etiamſi ab aliquot annis per proteſtationem creditor contradixerit, nihilominùs non potuit tantùm operari, vt extingueret vſum obſeruatum ſtatìm poſt contractum, etiam quòd non fuerit præſcriptus, quia non requirit præſcriptionem.* Idem *Cenc. de cenſ. cit. num.* 29. & nouiſſimè *Duard. to.* 1. *cit. nu.* 16. Ità vt communiſſima ſententia ſit, ac nullo contradicente teneatur. Vndè etiam eſt, quod vbi aliquandò contingeret, quod refert *Bart. & DD. in l. Paul. in prin. ff. de ſolut.* vt ſub eodem nomine, & diuerſa æſtimatione currerent duæ, vel plures monetæ, ſiuè ſpecificæ, ſiuè genericæ, & reſpectiuè ad eas, aliam, & aliam eodem tempore æſtimationem haberent aliæ monetæ; itaùt pluris reſpectu vnius, quàm alterius eiuſdem nominis æſtimarentur; Tunc dubium

de

de qua ſpecie, vel genere ſenſiſſent contrahentes, per loci conſuetudinem, & ſolutionum obſeruantiam tollendum eſſet, *vt cum Bart.* ſentiunt communitèr *DD. in l. Paul. cit.* & alibi ſæpè, vt refert *Aquil. Theor.* 6. & 10. & plenè *Brun. præſupp.* 2. *num.* 14. & cæteri omnes; Tametſi, quandò de eiuſmodi conſuetudine non conſtaret, tunc veriſimiliùs, & quod minus eſſet, & debitori fauorabilius iudicandum eſſet, vt ijdem DD. fatentur loc. cit. cum *gloſ. Accurſ. in l. ſemper in probat. ff. de reg. iur. Si neque mos Regionis appareat, quia eſt varius, ad id, quod minimum eſt, ſumma eſt redigenda.* Quod etiam expreſsè habet *text. in l. nummis ff. de leg.* 3. *Nummis indiſtinctè legatis hoc receptitius eſt, vt exiguiores legati videantur, ſi neque ex conſuetudine Patrisfamilias, neque ex contextu teſtamenti poſſit apparere, quales videlicet ſint legati* vbi *gloſ. & DD.* communiter, vt notat *Rener. cap.* 20. *nu.* 17. Nec mirum ſi tantum conſuetudini ſoluendi concedatur, ſi ſit in bona fide firmata; *Conſuetudo enim*, vt liquet ex dictis, & pulcrè etiam cum DD notat *Crauet. conſ.* 4. *habet vim pacti, ſi ergò valet pactum, & conſuetudo valere debet, immò fortior eſt pacto conſuetudo, quia valet etiam vbi pactum valere non poteſt.* Vnde *Curt. in cap. cum tanto ſect.* 1. *num.* 9. *Quod conſuetum eſt habetur pro neceſſario, cum conſuetudo ſit actus practicus ad vnguem obſeruandus.* Idem latiſſimè *Rener. cap.* 20. & 24.

119 Qualiter autem omnia prædicta, vt potè ſecundùm communem rationem, & iurium principia, in omni contractu, & debito quocunque, vel obligatione pecuniaria procedant, ex dictis facilè colligitur; Conſtat ſiquidem, quod aduertit cum *Rebell. nu.* 12. *Laym. num.* 15. Eiuſdem aſſertionis doctrinam latè accipiendam eſſe, vt locum habeat in omni diſpoſitione contractus, ſententiæ, ſtatuti pœnalis, vltimæ voluntatis, &c. Eſt enim generalis, & ex terminis manifeſta ratio attendendum eſſe hinc quidem quid, & quantum in promiſſionem, obligationem, aut quamcunque diſpoſitionem venerit, illinc verò quid, & quantum in ſolutione contineatur, &c. Quæ omnia in *tract. diuerſ. apud Brun. Rener. Theſ. & Fab.* diſertiſſimè digeſta habentur.

120 Tandem quod vltimo infertur in Sereniſſima Republica Genuenſi, cuius optimo regimine monetæ omnes, tùm vniuerſales, & genericæ; tùm ſpecificæ, & reales eiuſdem inuariatæ rationis, & intrinſeci valoris rectiſſimo ordine præſeruantur, neceſſariò monetas omnes, tàm in cenſibus, quàm in eorum fructibus, alijſq. eiuſmodi contractibus in ſcutis, & libris celebratis, (nonnullis ſpeciali ratione ſecluſis) pro æſtimatione, & pretio quotidie currente eſſe ſoluendas. Probatiſſima ex

dictis,

Digitized by Google

dictis, & præiudicata veritas ſatis ſuperq.monſtratur ; ademptis namque debitis S.Georgij, & de moneta Cartularij, in quibus monetæ certo, perpetuoq. valore, & pretio ſunt publica diſpoſitione taxatæ, vt notat etiam *Scac.*§.7 *gloſ* 3.*nu*.3. Ademptis quoque coi tractibus Dotalibus, de quibus ſpeciali fauore proſequendis *arg.l.*1 *ff.ſolut.matrim.* extare fertur peculiare decretum Sereniſſimi Senatus, ſoluendos eſſe ad valorem pecuniarum temporis contractus, proùt pariter Senatum Sabaudiæ iudicaſſe teſtatur etiam *Theſ par.*2. *caſ.*10. De reliquis certiſſimum eſt, omnia iura relata directè procedere; idemque præ cæteris euidentiſſime manifeſtat inueterata vniuerſæ Regionis, tam vniuerſalis, quam particularis Conſuetudo, ſecundùm quàm ſemper omnes probas monetas in omnibus ferè ſtipulationibus, ac ſolutionibus ad pretia currentia numerare communis contrahentium mos fuit, qui ſanè, vtì à pleriſque conſtanter ratione dictante, ſeruatur; ità omnibus de iure cuſtodiendus eſt, itaùt nulla cuiuſquam libidine violetur; turpis enim pars omnis vniuerſo ſuo non congruens, vt ſuprà dictum eſt per *cap. quæ contra mores* 8.*diſt.* & *cap.tuas de ſponſ. duo*. Vndè *Quiſquis rebus prætereuntibus ſic vti vult, vt metas conſuetudinis horum, inter quos verſatur excedat, aut velut intemperans, aut veluti ſuperſtitioſus damnari debet*, inquit, *Auguſt.in cap.Quiſquis* 41.*diſt.* & communi DD. mente fulcitur cum omnibus, quæ tanquam generalia principia iuris ad euidentem huius controuerſiæ reſolutionem prælibauimus.





Digitized by Google

# ARTICVLVS V.

## Quid Iuris, & rationis in noua Poſitione cenſendum.

121 HACTENVS de augmento communia, & omnibus manifeſta demonſtrauimus; Iam ſumus in noua illa,& importuna augmenti Poſitione, qua his temporibus ſingularitèr ad id ſoluendum debitores grauantur, adeò vt intelligibile ſit, Quo iure, qua noua ratione, qui vſque modò per annos 30.60.100. & ante per tempus immemorabile, plenè, & abſque cõtradictione ſatisfecerint annuis cenſibus de 100. V.G. Nunc in inſtanti ad pluſquam 130. compellantur, & quò plures annos idem ſoluere conſueuerint, eò plus etiam conſueto nunc ſoluere teneantur. Vbi mirum eſt, quo pacto præfati Conſultores aduerſus communem vſum, & inueteratam conſuetudinem cõſulere potuerint, tàm in cenſibus,quàm in eorum fructibus, & alijs quibuſcunque obligationibus ſoluendam eſſe monetam ad valorem, quo currebat tempore contractus, illi nitentes fundamento, quòd tale augmentum fuerit ex introductione cuiuſdam monetæ minutæ æreæ deterioratione cauſatum. Quod quidem, quamuìs ad quæſtionem facti magis, quàm iuris pertineat, & per conſequens experientia magis, quam ratione egeat; Quia tamen, vt communitèr dicitur, *Vni infinita accidunt*, proptèr quod in ſingularium iudicio, & principiorum vniuerſalium applicatione facillimè contingit errare; Idcircò in huiuſmodi etiam facti quæſtionibus, *vt lib. eth.* traditur, non minùs, quin immò magis intellectu, & ratione opus eſt, quàm ſenſu, vt cogitetur, non ſolùm, an quod aſſeritur factum eſſe, re vera factum ſit, ſed etiam,quid, cur, quomodo, & quando factum ſit, & ſic de cæteris circumſtantijs, ex quibus eſſentialitèr pendet ratio facti. Vt in caſu noſtro de monetæ deterioratione cogitandum eſt, non ſolùm an facta ſit, ſed hoc etiam dato, non ſtatìm augmentum excoriandum, antequàm mactetur; ſed adhùc conſiderandum eſt, quæ deterioratio ſit; an monetæ æreæ, in qua locũ habere non poteſt augmenti quæſtio, vt conſtat ex dictis, & in *deciſ. Granat.* ſenſu, & ratione latiſſimè oſtenditur: an aureæ, & argenteæ de qua poteſt quæſtio procedere. Deindè hoc etiam dato, non ſtatim inferenda concluſio, ſed adhuc conſiderare oportet, cur deterioratio fa-



Digitized by Google

cta ſit; an à Principe propter bonum commune, & ſic iuſtè, quo poſito deteriorationis nomen omninò delendum: an alia quacunque de causa, ob quam communis detrimenti poſſit eſſe ſuſpicio. Item, an augmentum propter deteriorationem factum ſit, an deterioratio propter augmentum, vt probabile eſt ex dictis *nu.* 110. Et magis etiam conſtabit ex dicendis. In quo caſu tota augmenti quæſtio ruit, quandoquidem non deterioratio eſt cauſa augmenti, ſed augmentum deteriorationis. Ampliùs dato etiam, deteriorationem eſſe cauſam augmenti, non illicò augmentum dentibus lacerandum; ſed adhuc conſiderandum eſt, quandò deterioratio facta ſit, vt augmentum præcedens à conſequente ſeparetur, & non de cauſa ad non cauſam fallaciter arguatur. Ampliùs facta etiam ſeparatione, in ipſomet ſtatu deteriorationis, præſertìm cùm de longo tempore agitur, conſiderandum eſt, an ſola deterioratio tanto tempore cauſa augmenti ſit, an vt probabilius eſt, poſt illam ſucceſſerint aliæ cauſæ, quæ vel ſimul cum illa, vel etiam ſine illa cauſent augmentum, prout in dies accidit in omnibus Prouincijs, vt oſtenſum eſt ſupra *nu.* 50. *& ſeqq.* vt ſic etiam augmentum ab augmento ſeligatur, & non craſſa minerua cum vno, & alterum liquidetur. Poſtremò ipſa quoque deterioratio conſideranda eſt, quanta ſit, vt quantitas augmenti ex æquo metiatur, & non, elephantum ex muſca faciendo, pro modica deterioratione augmentum immodicum vſurpetur. Hæc, & alia infrà ſubijcienda veniunt in quæſtione facti conſideranda, vt ſic facto intimè percepto, ex principijs vniuerſalibus ſecundùm rectam rationem quæſtio decidatur. Vndè *Ariſt. in lib. Rheth.* ad huiuſmodi etiam facti quæſtiones propria principia probationis aſſignat, cum quibus, ſi conſulendo, & generalibus principijs, Doctorumque ſententijs vtendo, Conſultores augmenti procederent, non adeò generaliter omnia omnibus ſinè omni diſcretione augmenta concederent. Ità procedendum cenſent in hoc caſu in ſpecie eruditiſſimus Menoch. *conſ.* 49. *Surd. conſ.* 335. *& in tract. diuerſ. Brun. Rener. Theſ. & Fab.* vt in terminis videbimus, in quo parùm practici hallucinantur, qui, vt notatur in *dec. Granat.* 13. *nu.* 10. *Semper pro numero ſententias penſitant, quàm pondere rationis æſtiment.*

## Fundamentum nouæ Poſitionis impugnatur.

Qvam igitur falſum ſit, quod ſuadent, & nullius conſiſtentiæ fundamentum aſſumere contendant, manifeſtè probatur. 122

P 2 Primo

Primò ex præmiſſis, quibus monetam æream ob innatam materiæ vilitatem, nullam cum aurea, & argentea concernere proportionem, nullumque ex eius contaminatione augmentum apparens oriri, & DD. rationibus, & communi Hiſpaniarum vſu ſufficientiſſimè oſtẽdimus. Quare gratis omninò, & fruſtra, vt probant in terminis doctiſſimus *Menoch. conſ.* 49. *&* *Surd. conſ.* 335. de quibus infrà ad propoſitum thema, huiuſmodi deteriorationem prædicti Conſultores extorquent. Idemque præ omnibus etiam quàm maximè ſuadet aperta repugnantia terminorum, quam ipſimet in eiuſdem deteriorationis excogitata liquidatione, euidenti falſitatis indicio, præſeferunt. Allegata namque regula Theſ. de qua ſuprà *nu.* 103. ad calculandam deteriorationem monetarum, quod *e.g. Si tempore contractus marca æroſa pecuniæ currentis continebat ſolidos 576. tempore autem ſolutionis contineat 640. debeat liquidari augmentum ad rationem 64. pro ſingula marca ſolidorum. Idem*, inquiunt, *eſt dicere, quòd cum tempore diſpoſitionis nummus argenteus conſtaret libris 4. & ſolidis 10. nunc verò contineat libras quinque, & ſolidos 18. debetur augmentum ſolidorum 28. pro ſingulo ſcuto argenteo; vel quod idem eſt, æſtimandus eſt nummus argenteus libris 4. cum dimidia, & pro tot ſoluendus, & non amplius.* Iterum *Deterioratio monetæ minutæ præterquam quòd iure præſumitur, notoria eſt, nam tunc temporis vna libra ſolidorum in pondere includebat tantummodò libras in num. 14 cum dimidia, nunc verò 17. & ferè 18. libras continet, quod accidit ex inæqualitate ſolidorum in pondere, & hominum induſtria, qui ſolidis maioris ponderis fuſis, deteriores in vſu reliquerunt, quorum plures ad libram conficiendam requiruntur; Vndè eſt, quòd vbi libris 4. cum dimidia argenteus emebatur; nunc non niſi libris 5. & ſolid. 18. emitur.* Et iterùm *Libra noſtri temporis æquiualens non eſt antiquæ, cum experimento oſtendatur 28. ſolidos huius temporis requiri ad æquandum pondus antiquæ libræ, cuius æquiualentia eſt ſoluenda, nè minus debito ſoluatur.* Tres iſtas augmenti calculationes, ſeù deteriorationis liquidationes excogitant, vt propoſitũ obtineant; quæ tamen ſi benè, vt præmonet *Surd. conſ.* 335. *cit.* examinentur, non tantùm nullius probabilitatis, verùm etiam apertè repugnantes inueniuntur. In prima namque, in qua ponunt, quòd cum nummus argenteus conſtaret de libris 4. & 10. nunc autẽ continet libras 5. & ſolid. 18. debeatur augmentum ſolidorũ 28. pro ſingulo argenteo, hac ratione pro quolibet centenario librarum antiquarum, liquidari deberet augmentũ librarum 30. & ampliùs ex currentibus, ſeù quod idem eſt, ſoluendæ eſſent libræ 130. & ampliùs ex currentibus pro 100. ex antiquis.

In

In ſecunda verò, in qua ponunt vnam libram ſolidorum in pondere continere libras in numero ferè 18. quæ olim includebat tantummodo libras quatuordecim cum dimidia, hac ratione pro quolibet centenario librarum antiquarum, liquidari deberet augmentum librarum ferè 24. ex currentibus, ſeù quod idem eſt ſoluendæ eſſent libræ ferè 124. monetæ currentis pro quolibet centenario antiquarum. In tertia autem, in qua ponunt 28. ſolidos huius temporis requiri ad æquandum pondus antiquæ libræ, liquidari deberet augmentum 40. librarum currentium pro quolibet centenario antiquarum, ſic ſoluendæ eſſent 140. libræ currentes pro 100. ex antiquis. Quibus ſi inſuper enumerent ijdem Conſultores, quam multos experiri neceſſe iam fuit augmenti liquidationem in auro, quod plus etiam argento eſt auctum, liquidari debet augmentum 60. & plurium librarum pro centenario, vti de facto vidimus debitores pro 100. pluſquam 160 ſoluere fuiſſe coactos. Neque verò eſt maior ratio, cur magìs in argento, quàm in auro fieri debeat liquidatio, cum diſparis augmenti, cuius cauſa agnoſcitur eadem, non ſit diſpar ratio, & per conſequens in vtroque, vel quod verius eſt, in neutro ſit admittenda. Quòd ſi gratìs, vt aliqui putant, ad certam ſpeciem monetæ liquidatio limitanda videatur, & aliàs, vt accidit ſpecies in contractu accepta, nedùm aucta non ſit, verùm etiam ob nimiam deprauationem reprobata vel, vt de facto refertur *nu.* 140. non parum diminuta, aut ſaltem, vt commune eſt, minus aucta, quàm ſpecies liquidationi deſtinata; quo iure quæſo, quo titulo, electa pecunia pro reproba, aurum, & argentum pro ære, augmentum pro decremento liquidabitur? cùm etiam præſcindendo ab augmento, conuenire de ſolutione melioris monetæ pro viliori accepta ab omnibus communiter, tàm Theologis, quàm Iuriſtis vſura cenſeatur, vt etiam in *dec. Granat.* 24 *nu.* 2. *&* 13. refertur; cum ſic facientes, vt notat *Alex. Alenſ. & Hug. Card. in Pſal.* 14. *Sint incantatores, faciunt enim tranſmutationes metallorum ſine aliqua percuſſione mallei, faciunt enim de Turonenſi Pariſienſem*, & in noſtro caſu, de ære aurum, de libris ſcuta, & de centenis millia. Vndè meritò idem *Theſ.* contrà talem liquidationem, etiam cum de aureis ad rationem florenorum, & librarum ageretur, 2. *par. nu.* 40. *Ridiculum*, ait, *mihi videtur, quòd volunt iſto caſu calculationem augmenti faciendam ad aurei valorem, cùm nihil minùs in obligatione fuerit cogitatum, quàm de auri ſpecie. Immò aureum ad monetam reduxerunt, quando in florenis contraxerunt, vel de aureis monetæ, nempè de florenis octo, vel nouem locuti ſunt.* Et vt antè dixerat 1. *par. nu.* 43. *Contrahen-*

*trahentes, qui contraxerunt in florenis, ſeù libris, & in illa qualitate monetæ ſtipulati ſunt, non reſpexerunt ad aurum, ſed ad argentum, & æroſam monetam, nempè ad florenum ualoris groſſorum* 12. *& libram valoris ſolidorum* 20. *& aliud eſt calculare valorem libræ, & floreni de tempore contractus, aliud ſoluere, tot libras, ſeu florenos, qui conſtituant aureum nummum*; proindè, vt rectè concludit 2. *part. nu.*46. *Neceſſariò fatendum eſt, eos, qui dicunt pro imaginaria, vel minori moneta, purioris pecuniæ augmentum Creditori deberi, neſcire quid ſit augmentũ*. Nàm quandò etiã in moneta imaginaria liquidatio eſſet admittẽda, non ad puriores auri, & argenti ſpecies limitanda eſt, *Ne maior*, vt ait idẽ Theſ. n. 46. *ſit acceſſio, quam patiatur ipſa monetæ natura, quæ eſt in ſtipulatione deducta, & ſtipulationis forma, à qua Contrahentes recedere non poſſunt*; ſed ad deteriores, & æroſas, quibus eadem imaginaria æſtimatur, regulatur, & ſoluitur, in quibus tamen non conſiderari bonitatem intrinſecam, iàm plenè conſtat ex dictis, & quandò etiam conſideraretur, ea minima eſſet, vt optimè etiam obſeruat Idem *Theſ. nu.* 47. *Florenus, qui eſt in obligatione non æſtimabitur per aurum, vel ducatonum, aut ſimilem maioris ponderis monetam; ſed floreni æſtimatio fiet per ſolidos, & groſſos, & quartos, in quibus vel nihil, aut parùm contigit augmenti*.

123 Sed neque hic ſiſtitur, quia cùm valor monetarum, vt videmus in dies augeatur, neceſſe eſt etiam, vt augmentum ſine fine liquidetur, & nunquàm monetæ viliſſimæ deteriorationi ſuppleatur. Quam lata cupiditati adaperta eſt ianua! ipſa impoſterum in augendis monetis perpetuas deteriorationis vices geret, eòq. deteriùs, quo plùs ipſa, quàm pecunia ex ipſa augebitur; Nàm, vt vidimus ſuprà *num.* 55. *Qui modus eſt in rebus cupiditatis, idem eſt æſtimationis, difficile enim eſt finem facere pretio, niſi libidini feceris*, vt ait *Cic.* Et ſecundùm *Philoſophum, In infinitum augent, qui pecuniis ſtudent*. Ecce ob oculos omnium, etiam ipſorum Conſultorum ſuæ deteriorationis inanitas; dùm modò ad rationem 10. modò ad 30. modò ad 40. modò etiam ad 60. & ſic ſine fine, & ſine diſtinctione liquidanda aſſeritur; Hæc ipſa repugnantia terminorum nil aliud ſine dubio concludit, quàm falſam eſſe, & impertinentem ad propoſitum excogitatam illam poſt annos triginta deteriorationem monetarum, cuius prætextu nunc temporis hominum cupiditas contrà communem vſum, & Iuſtitiam, ſine ratione, ſine diſcretione Pauperes deteriorare conatur. Qui proinde ſuper ea audiri non debent per *tex. in l.* 1. *vbi gloſ. C. de funt. & in cap.* *Solli-*

*Sollicitudinem in fin. de appellat. in l. vbi repugnantia ff. de reg. Iur.* Omitto, quòd ad eandem deteriorationem ſuadendam, primò dicunt eam ex introductione minutæ æreæ contaminatæ fuiſſe cauſatam; deindè verò ex hominum induſtria contigiſſe, qui ſolidis maioris ponderis fuſis, deteriores in vſu reliquerunt. Quæ ſanè, quàm improbabilia excogitauerint, ipſi viderint, aperiendo ſi valent induſtriam illorum, qui relictis pretioſis auri, & argenti monetis, ærosis, vilibusq. intenti, oleum, & operam perdunt; cùm notum ſit, vt etiam diligentèr expendunt *Brun. Rener. & Theſ. ſupra cit.* in minutis pecunijs ob eius mixtionem, & maiores impenſas in earum excuſſione, longè minus argenti, quàm in reliquis proportionalitèr includi. Quarè gratìs vbique illam ſuam deteriorationem ſuadere nituntur; cùm verè nulla ſufficienti ratione conijci poſſit; nec quicquam officeret, quandò etiam aliqua huiuſmodi deterioratio perciperetur; cùm ſicut obſeruant DD, quos ſuprà *nu.* 110. non minùs, quinimmò frequentiùs proptèr excellens augmentũ pecuniæ groſſæ minuitur minuta, quàm quòd è contrà ex diminutione minutæ augeatur groſſa. Quod quidem ſemper præſumendum eſt, vt ſecundùm *Reg. Iur.* dubia in meliorem partem interpretemur, nec paſsìm Principis integritati, iniuſtæ deteriorationis ſuſpicione detrahamus, quod nullus audere debet; Vndè falſum etiam à fortiori eſt, quòd id præſumatur à Iure, vt ijdem Conſultores ſubijciunt, ſed abſolutè probandum eſt, & euidentèr conſtare debet, vt de communi defendunt *Surd. conſ.* 338. *nu.* 8. *Rener. loc. cit. & Theſ.* 2. *par. ſub nu.* 47. Quare de primo ad vltimum, vt optimè concludit idèm *Surd. nu.* 12. *In facto noſtro ceſſare debet omnis amaritudo, tùm quia non apparet de aliqua mutatione intrinſeca, tùm verò magìs reſpectu librarum nulla omninò, nec intrinſeca, nec extrinſeca mutatio ſequi poteſt*. Et vt concludit etiam *Rener. cap.* 2. *nu.* 36. *Idcircò a Communioribus Regulis, & Concluſionibus maximis ſuprapoſitis, nec temerè, nec facilè eſt recedendum*.

Secundò. Dato etiam contrà communem Veritatem, quòd ex monetæ æreæ diminutione poſſet augmentum apparens in aurea, & argẽtea cauſari, libram quoque, aliamq. omnem monetam imaginariam intrinſecè mutari; Adhùc in noſtro Caſu patet, nil tale fuiſſe cauſatum, 124
cum libra, quæ eſt menſura pretij monetarum, certa, & determinata ſolidorum æreorum æſtimatione menſurata, nedùm in numero, verùm nec etiam in valore ſolidorum ſit variata, cum ex 20. ſolidis 12. denarijs pro ſingulo valutatis, tàm modò conſtet, quàm antea, quin

quin etiam ijdem ſolidi numero, & aliæ monetæ minimæ, quæ vulgò dicuntur *da 4. denari*, cùm ipſiſmèt denarijs, eædem continuè manent eiuſdem inuariatæ materiæ, & pretij; & in eodem numero ſumptæ, nihil detracto, vel addito conficiunt libram, quã à prima ſui inſtitutione conficiebant. Cùm autem omnes aliæ monetæ, ſiue meliores, ſiue deteriores, non niſi per æquiualentiam, & proportionem ad minimã, per quam æſtimantur, ſe habeant ad libram, neceſſe eſt etiam, quòd eandem libram eiuſdem rationis, & pretij conficiant; quia manente prima menſura eiuſdem rationis, ex eadem ſecundùm eandem proportionem ſumpta, ſemper eſt eadem menſuratio eiuſdem rationis, ſicut ex vnitate duplicata binarium, & triplicata ternarium, vt plenè ſuprà *nu*. 31. *& ſeqq*. expoſuimus, ac plenè demonſtrat vſus Hiſpaniarum. Cum ergo ex iiſdem, nec pluribus, nec paucioribus denarijs tammodò conſtet, quàm anteà, intelligi non poteſt vllatenùs variata, ſic durat eiuſdem rationis, & ſibi debitæ perfectionis; ac proinde, ſi moneta maior, quã menſurat per plures libras eſt aucta, verè maius pretium, & verum augmentum extrinſecum eſt adepta; non autem apparentèr, & ex minutæ diminutione variata; Et hoc eſt, quod peritiſſimè aduertit etiam *Theſ. 2. par. ſub nu*. 47. dicens, *Quando eadem pecunia, quæ currebat tempore contractus hodie currit, & eſt adhuc in vſu, fruſtrà intrinſecam variationem conſiderari*, & infrà *Arguere à mutatione auri ad mutationem floreni, quandò eadem moneta minuta eſt in vſu, eſt quædam ſubtilitas, & Chimera ab optimo Iudice reijcienda*.

125 Tertiò, ſecundùm dictos Cõſultores ab Anno 1606. moneta minuta fuit deterior facta, vndè omnes monetas volunt eſſe intrinſecè deterioratas. At poſt talem, & tot annorum veterem introductionẽ conſtat monetas maiores quotidie augmentari, quamuis illæ non quotidie deteriorentur. Ergò falſum eſt tale augmentum ex illa deterioratione cauſari. Quòd ſi adhùc propter illam introductionem poſt 30. annos, & vltra ſibi augeri videantur, quouſque quæsò erit progreſſus? Quis ille pretiorum auctor, cui Perſius dicat; *Scis etenim iuſtum gemina ſuſpendere lance, ancipitis libræ*? Incredibile enim eſt, atque, vt nòtat etiam *Surd*. infrà *nu*. 96. relatus, peritorum vbique experimẽto impoſſibile comperietur, talem extitiſſe monetæ viliſſimæ deteriorationem, vt ad æqualitatem reſtituendam, tantam oporteat eſſe cæterarum monetarum augmentationem; cùm præterea ſatis conſtet, etiã antè eam deteriorationem augmentari cæpiſſe, & probabile eſt, abſque vlla etiam deterioratione, vt in alijs Regionibus augmentandas fuiſſe;

quod

quod ſe obſeruaſſe teſtatur *Rener. cap. 2. nu. 35*. ob idq. concludit à cõmunibus regulis, & Concluſionibus ſupra poſitis non eſſe, nec temerè, nec facilè recedendum. Idemq. fatetur etiam *Theſ. loc. cit. nu 47.*

Quartò. Cùm non in noſtris, ſed tantùm in extraneis monetis talem deteriorationem dicti Cõſultores agnoſcant, nulla poteſt ab ijs aſſignari ratio, cùm tàm ex noſtris, quàm ex extraneis libra conficiatur, Cùr potiùs ex alienis imperfectis deterioretur, quàm ex noſtris perfectis in ſua perfectione retineatur, ac potiùs ex illarum introductione varietur, quàm ex iſtarum permanentia inuariata præſeruetur. Dicãt, in quo differat illa, quæ ex noſtris ab ea, quæ ex extraneis conficitur? ſi niſi in materia; multò magis etiam in noſtris differet illa, quæ ex æreis, ab illa, quæ ex argenteis, & hæc ab illa, quæ ex aureis ſimilitèr conficitur; in quo ſi agnoſcenda ſit diuerſitas in perfectione librarũ, iàm nulla ex illis ſeruata æqualitate poterit commutari in aliam, nec argentea per æream, nec maior moneta per minorem poterit æſtimari, nec erit dabile vnum, quo poſſint omnia pretia terminari, & nulla erit certitudo æqualitatis, ac nulla ſeruabilis erit in commutatione Iuſtitia, quæ ſunt maximè inconuenientia; dicendum ergò eſt, quòd in quacunque moneta, perfectiori, vel imperfectiori, aurea, argentea, vel ærea, educto eodem numero ſolidorum, & denariorum, eiuſdem omninò rationis, & perfectionis libra perficitur; quod latè ſuprà *nu.* 93. indicauimus, & *deciſ. Senat. Granat.* ac Hiſpaniarum vſu comprobauimus *num.* 114. *& ſeqq.* 126

Quintò. Experientia conſtat, quòd tot libræ ex noſtris, quot ex extraneis ad monetas maiores permutandas, & venalia emenda ſufficiunt, nec plures, nec pauciores ex vnis, quàm ex alteris, requiruntur; cùm tamen id ſtare non poſſet, ſi alteræ deteriores, alteræ meliores eſſent; ſed neceſſariò, vt in quibuſdam Regionibus, duo genera librarum inæqualis perfectionis, & valoris diſtinguerentur, quarum ratione cæteræ quoque ſpecies monetarum plùs in vno genere, quàm in alio publicè æſtimarentur; ſic in ſuo caſu obſeruat *Layman. nu.* 21. Sic etiã refert *Fab. cap.* 24. incipiens; *Euenit plerunque, præſertim his noſtris temporibus, vt eodem tempore alia, atque alia ſit eiuſdem nummi æſtimatio pro varietate monetarum inferiorum, quibus maior nummus æſtimandus ſit; Fieri enim facilè poteſt, vt ex inferioribus monetis aliæ ſint aliis deteriores in ſua ſpecie, quod cùm accidit, illud quoque ſequi neceſſe eſt, vt maiore florenorum numero æſtimetur aureus, qui in deteriore moneta ſoluitur, quàm, qui in meliore*; quo caſu in ſolutionibus conuentio ſeruanda 127

eſt, vel ſi de ea non conſtet, loci Conſuetudo eſt attendenda, vt docet *Bart. & DD. in l. Paul. in princ. ff. de ſolut.* & in dubio veriſimilius, & quod debitori fauorabilius eſt eligendum, vt dictum eſt ſuprà *nu.* 118. Cùm ergò tale diſcrimen in Sereniſſima Republica non appareat, ex vtriſque ſpeciebus monetarum, noſtris videlicet, & extraneis, neceſſe eſt confici libram eiuſdem rationis, & perfectionis, vt vtrumque pretium ſit iuſtum; Nec ad rem facit, quod aſſerunt ijdem Conſultores de duplici moneta, currenti videlicèt, & Cartularij, cùm hæc diuerſitas non ſit intrinſecæ bonitatis, & perfectionis monetarum, qua aureæ, & argentæ monetæ pluribus libris æſtimentur in vna ſpecie monetarum inferiorum, quàm in alia, eò quòd aliæ ſint alijs deteriores in ſua ſpecie, prout *not. Fab. in loc. prælleg.* cùm ſatis conſtet apud nos ex omni ſpecie monetæ inferioris, tàm noſtræ, quàm extraneæ, totidèm libris, nec pluribus, nec paucioribus æſtimari omnes monetas maiores; Ideòque diuerſitas allata monetæ currentis, & Cartularij non eſt niſi extrinſecæ æſtimationis, quatenùs nimirum peculiari Principis diſpoſitione monetæ aureæ, & argenteæ in Cartulario ſunt certo, perpetuoq. valore, & pretio taxatæ; ſub quo in communi curſu nullo vnquàm potuerunt edicto contineri, quin ſæpiùs ſecundùm temporum, & rerum conditiones variarentur, vt vidimus ſuprà *nu.* 56. *& ſeq.* Ob quam tamen extrinſecam variationem, libra, quæ vniuerſalis menſura pretij conſtituta eſt, nec intrinſecè, nec extrinſecè vnquàm variata eſt, cùm eadem ſemper eiuſdem rationis, hoc eſt numeri ſolidorum, & denariorum in quauis ſpecie monetæ, tàm in communi vſu, quàm in Cartulario permanſerit, vt conſtat de facto, & ſæpiùs declaratum eſt. Quarè in ſolutionibus, ſi de moneta currenti, vel Cartularij contractus procedant, conuentio ſeruanda eſt; ſi verò de neutra conſtet, tunc loci conſuetudo attendenda, & in dubio veriſimilius, & quod minus eſt, ac debitori fauorabilius intelligendum de communi DD. mente cum *Bart. ſuprà nu.* 118.

128 Propter quod etiam nullatenùs audiendi ſunt, qui quaſdam quoque ex noſtris æreis *da otto, e da* 20. ab anno 1625. impreſſas, eodem deteriorationis crimine accuſant, & hoc prætextu ad enormem, ac ſingularem Laymani caſum, de quo ſuprà *nu.* 108. noſtrum reducere conantes, vt cætera etiam paria oſtendant, cauſam mutationis faciunt bellicum illum eiuſdem anni tumultum, citiùs diuino ſpiritu extinctũ, quàm tartareo flatu ſucenſum. Conſtat enim iam ſatis de caſu, & ſententia Laymani, de fraude Hereticorum, de falſatione monetarum;

de

de augmento in ſeptuplum, de cōmuni reclamatione, & generali quadriennij decurſu pretiorum reformatione. Conſtat etiam de caſu noſtro, & monetæ imaginariæ communi ſententia DD. de relegatione, falſationum, & præſeruatione monetarū, de antiquo vſu, & moderamine augmenti, de Populi communi conſenſu, & perpetua vbique Gētium ſucceſſione pretiorum. Conſtat inſuper de natura minutarum, ærearum, in quibus locum non inuenit huiuſmodi Quæſtio; Cùm præterea certum ſit iuſtè, & legitimè à Sereniſſimo Senatu cuſas fuiſſe, iuſto, & legitimo pretio taxatas, & in publico vſu receptas, vt vnà cum cæteris eandem libram eiuſdem rationis, & pretij conficiant. Etſi ſubtiliores iſti librarum penſatores ex huiuſmodi monetis nolint eaſdem libras confici, ſed confundi, & Contrahentium Iura per eas deſignata peruerti. At iàm conſtat communis, & vera ſententia Fabri ſuprà *nu.* 110. relata. *Certum eſt, quòd Princeps habet poteſtatem in talibus, & ad ipſum pertinet dare curſum, & valorem monetæ. igitur conſtitutio, & ordinatio ſua ligat, ſatis autem conſtituit ex quo ordinat, quòd* 12. *denarii valeant ſolidum, &* 20. *ſoldi illius monetæ libram, & ei dat curſum pro legitima.* Iam liquidè cùm *Deciſ. Granat.* oſtenſum eſt, monetam præcipuè æream eſſe poteſtati Principis plenè ſubiectam, eamq. data opportunitate poſſe qualemlibet excudere, excuſſamq. ad libitum appretiare, cùm nulla in ea ſit materiæ conſideratio; Etſi quandoquè ob nimiam quantitatem, vel aliam rationem, de qua ſup. *nu.* 48. æſtimatarum ſpecierum, aliqua vilior, & alia charior habeatur, ſic plusculùm in commutatione vnius, quàm alterius impendatur; quod tamen non obſtat, quin debita quantitatis in genere ſecundùm communem, & currentem monetarum valorem ſolui debeant, vt plenè manet probatum, & in praxi ſeruatum refertur *in Dec. Granat.* ac nos huc vſque ſeruauimus; Præterquàm quòd, quandò etiam noui libripendes poſtulare velint aquam è pumice, aut nodum in ſcirpo quærere, audiant *Menoch. conſ.* 49. *num.* 38. *Reſpondeo, nos non verſari in eo caſu in quo moneta ità vilis cuditur, vt facilè reprobari poſſit, ſed Iuſti, & Boni Principis voluntate cudi monetas paulùm vilioris pretii, quàm olim, quæ quidem monetæ communem habent curſum.* Audiant *Surdum conſ.* 335. *nu.* 7. *Cùm ſæpiùs quæſtio hæc mihi contigerit, iuſſi à peritis periculum fieri, & calculum iniri, compertumq. fuit augmentum auri duplo excedere id, quod in moneta noua deſideratur pro adæquatione antiquæ; Vndè infertur, falſum eſſe axioma illud, quòd hodie creuerit aureus propter diminutionem valoris monetæ nouæ, quæ non ex puro argento, vt aliàs, ſed*

*ære contaminata cuditur*. Quid ſi in æreis, de quibus queruntur calculum ineant? ſanè ſeptuplum excedere comperient auri, & argenti augmentum, cùm in illis, vt confirmat etiam *Theſ.2.p.nu.46.& 47. vel nihil, aut parum contigit augmenti.*

129 Sextò. Si ex hac noua monetarum impreſſione, vel ex illa extranearum introductione poſſibile fuit libras, & omnes alias monetas fore deteriorandas, cur ipſe Actor Iuſtitiæ Sereniſſimus Senatus, (cuius proprium munus eſt) pretia monetarum ad debitam æqualitatem non auxit, ſed potiùs aucta, multis, & pœnalibus Edictis ſemper ſubmittere curauit? Si libræ factæ ſunt adeò deterioratæ, vt ad vnam dupplam faciendam 14. & vltrà ex iuſtitia requirantur; cur Tribunal Iuſtitiæ pretia monetarum toties imminuere tentauit? Tot proclamata, vt omnibus notum eſt, contrà talia augmenta promulgauit? Profectò iuſtiſſimo, & optimo Principi, id optimum, & iuſtiſſimum ſemper viſum fuit; ergò falſiſſimum eſt, quod dicti Conſultores imaginantur, ex monetæ minutæ deterioratione pretia monetarum maiorum aucta fuiſſe; cum verè dicendum ſit hoc ex opere hominum iuxtà ſuprà relata *nu.56.* & 57. contigiſſe; niſi fortè, cum ſic vbique contigerit, vt à communi vſu ſoluendi conſtat, ſoli peſſimam partem eligere malimus, quæ iuxtà præfatum Conſilium, non auferatur à nobis in æternum.

130 Septimò. Si cauſa augmenti fuit deterioratio, aſſignetur moneta deterior; vel eſt propria, vel extranea. Si extranea, *eius periculum*, vt benè aduertit *Theſ.2.par. nu.47. ſentire non debet debitor, qui minutam monetam propriam poteſt ſoluere, quæ ſi non ſit alterata, nullum facit augmentum, & in cuius etiam facultate poſitum eſt ſoluere monetas groſſiores auri, & argenti, quæ cum non ſint effectæ deterioris materiæ, & ponderis ab eo, quod erant tempore contractus, neſcio quare illas reſpuat creditor, licèt curſu temporis maioris æſtimationis reperiantur.* Siuè autem extranea, ſiuè propria, vel eſt reproba, & à communi vſu reiecta; vel proba, & in communi vſu recepta; Si reproba, & à communi vſu reiecta, cùm nullius ſit valoris, nullius etiam poteſt eſſe augmenti cauſa, & ſi quando fuiſſet, ea remota, remotus etiam fuiſſet effectus, vt in remedium ſimilium malorum conſulunt DD. & in praxi oſtendit *Layman nu. 26.* Si proba, & in communi vſu recepta, cùm iuſto, & vero valore conſtet (pretium enim iuſtum, & naturale eſt ex communi commerciorũ vſu, vt oſtenſum eſt ſuprà *nu.69.* & latè refertur in *deciſ. Granat. 11. nu.37.*) Nulla eſt præcipua ratio, cur ipſa præ cæteris ſit cauſa apparen-

tis

tis augmenti, cum verum non ſit cauſa falſi; ac proindè verſamur in caſu veri, & realis augmenti, vt hactenùs probatum eſt, atque adeò cum *Menoch. conſ. cit. nu. 42. Dicendum eſt augmentum non prouenire ratione monetæ paruæ deterioratæ, ſed ſimpliciter ex ſe ipſo, quod vno verbo dicitur augmentum verum, & efficax*.

Octauò. Generalitèr de omni genere minutæ monetæ, tàm propriæ, quàm extraneæ, tàm antiquæ, quàm nouæ, quæ ad hæc vſque tempora ſit in publico vſu recepta, conſtat in ſua æſtimatione æqualiter referri ad omnem monetam maiorem, itaùt tot libris, tot ſolidis, tàm vnius, quàm alterius monetæ æſtimetur aureus, argenteus, & omnis moneta maior, nec paucioribus libris, aut ſolidis, tàm vnius, quàm alterius poſſit acquiri, vt olim acquirebatur. E.G. vt oſtēdit *Menoch. cōſ. cit. n. 25*. Si accipio nunc libras 100. ex illa moneta, quæ olim cudebatur, quemadmodum ex illis permultæ reperiuntur, non tamen plures aureos, vel argenteos poſſem nunc acquirere, quàm ſi darem tantundem ex moneta, quæ nunc cuditur, & tamen ſi verum eſſet, quòd moneta noua eſſet intrinſecùs deteriorata, & vilior facta, quàm erat antiqua, opus eſſet dicere, quòd licèt cum 70. ſolidis ex nouis non poſſit acquiri argenteus, poſſit tamen cum 70. ſolidis ex antiquis, quod falſum eſſe manifeſtè conſtat. Ergò, vt euidentèr cōcludit idem Menoch. *Apertè conſtat monetas paruas, & minutas, ex quibus libra, & deindè aureus, & argenteus conſtituitur, & æſtimatur, eſſe nunc eiuſdem valoris, quo, & olim fuerunt, & nullam eſſe factam mutationem intrinſecam huius monetæ minutæ*. 131

Nonò. Confirmatur, quia niſi decretum obſtaret, nihil prohiberet fieri ſolutiones librarum in moneta minuta antiqua, vt *ſolidis, dà quattro*, & ſimilibus, ſecundùm omnium ſententiam, vt conſtat ex dictis, & perpetuo vſu ſeruatur in Hiſpanijs. Sed ſi hoc eſſet, idem omninò foret, vt conſtat, ſoluere 100. libras ſolidorum. E.G. ac ſoluere tot aureos, vel argenteos ſecundùm valorem currentem vſque ad ſummam 100. librarum, quia quanti valent, & æſtimantur 100. libræ de moneta ſolidorum, quadrantum, & denariorum, tantidem, nec pluris, nec minoris æſtimantur, & valent 100. libræ de valore currente aureorum, & cæterarum monetarùm maiorum. Ergò cum decretum de ſolutionibus non faciendis in minutioribus monetis, non alteret pretia contractuum, nec mutet ſubſtantiam ſolutionum; ſed tantùm diſponat modum, vt latè probatur in *dec. Granat. 11. nū. 9. & ſeqq.* neceſſariò infertur eandem omninò ſummam librarum, quæ aliàs iuſtè ſolueretur 132

in

in moneta minuta antiqua, ſoluendam eſſe in moneta maiori ad iuſtam æquiualentiam præſentis valoris, nec plus, aut minus, quocunque deteriorationis prætextu, exigi poſſe, vt in terminis concludunt *Menoch. Surd.* & *Theſ. loc. cit. & decidit Senat. Granat.* Et communi omnium conſenſu de facto ſeruatur in Regnis Hiſpaniarum, & vbique gentium, vt experientia ſit manifeſtum.

133 Decimò. Eſto minutæ monetæ deteriorationem augmenti cauſam in parte fuiſſe, in parte, inquam, quia omninò incredibile eſt, non etiam in parte, vt in cæteris Prouincijs monetas omnes purè extrinſecè creuiſſe. Ergò iam ſecundùm omnium ſententiam, & vſum Prouinciarum augmentum in parte ab hac lite eſt eximendum. At quod ſupereſt ex aliquali deterioratione proueniens fruſtrà in litem adducitur; tùm quia cùm ſit exiguum, nulla eſt conſideratione dignum, vt notat etiam *Theſ. loc. cit.* & cum *Fabro Layman. n.* 22. ibi. *Fatear eius mutationis conſiderationem non eſſe, ſed ſolutionem debitorum, etiam in his monetis fieri poſſe ſecundùm præſentem earum valorem. Idque probatur ex generali conſuetudine. Conſtat enim in plerisque Europæ Prouinciis, veteres monetas aureas, & argenteas, melioris materiæ, maiorisque ponderis olim fuiſſe, quàm, quæ poſteà in earum locum ſubſtitutæ ſunt, & tamen cenſuum, ac prædiorum oppigneratorum redemptiones his ipſis aliquantulùm leuioribus monetis abſque creditorum querela fieri ſolent.* Tum etiam quia, cum tale pretium plurimorum annorum ſpatio communitèr receptum ſit, & per conſquens duraturum, impoſſibile eſt, eſſe iniuſtum, vt optimè notat. Idem *Layman. nu.* 25. Ideoq. nulla prorsùs poteſt eſſe ratio, cur creditori debeatur, vt manet ex dictis liquiſſimè probatum.

## Improbatur eadem Poſitio per DD. pro ipſa allegatos.

134 ETſi nullius rationis, & iuris eſſe prędictam Poſitionem iam manet ſuperiùs ſecundùm communem ſenſum DD. & manifeſtum experimentum liquidiſſimè probatum. Quia tamen eam relati Conſultores, è celebrioribus I.C. *Surdo, Theſauro*, & aliqualiter etiam *Menochio* tribuere nituntur. Libet hic eos ad omnis ſubterfugij remotionem breuiſſimè inſerere, vt cunctis pateat, quàm plenè ijdem præ cæteris eandem Poſitionem in terminis diſcuſſerint, quàmque euidentèr, & efficacitèr, tamquam falſam, & iniquam reiecerint, ſimul etiam iuxtà præmiſſas diſtinctiones propriam mentem commentantes, ſi quid alio ſenſu alibi dixiſſe viſi fuerint.

Surdus

Digitized by Google

Surdus ergo *conſ.335.* Caſum noſtrum monetæ imaginariæ librarũ
in terminis diſcutiens, poſitis in principio argumentis Partis aduerſæ 135
reſolutoriè procedendo *num.7. Præmitto*, inquit, *quòd nulla excuditur,
vel expenditur moneta, quæ appelletur libra; ſed ſit moneta imaginaria, &
in abſtracto magis, quàm in concreto poſita, & cuius potentia non actus habetur,
& in eius ratione ineunda, vel calculo ponendo nullus habetur reſpectus,
nullaq. proportio ad alias monetas. Præmitto item, quòd vbi etiam conſtare
poſſet valorem auri creuiſſe, eo quòd moneta, quæ nunc cuditur ſit deterior
antiqua, & impurior, ac magis ære commixta. Tamen ſi rectè examinetur
negotium, & ab vna parte ponatur auri incrementum, & ab alia id,
quod noua monetæ deeſt ad antiquam bonitatem, dignoſcetur longè pluris
auctum fuiſſe valorem auri, quàm ſit deteriorata moneta. Et cùm ſępiùs
quæſtio hæc mihi contingerit, iuſſi à peritis periculum fieri, & calculum
iniri, compertumque fuit augmentum auri duplo excedere id, quod in moneta
noua deſideratur pro adæquatione antiqua. Vndè infertur, falſum eſſe
axioma illud, quòd hodie creuerit aureus propter diminutionem valoris monetæ
nouæ, quæ non ex puro argento, vt aliàs, ſed ære contaminata cuditur,
&c. Poſitis autem prędictis fundamentis, dico, Debitores cogi non poſſe
ad ſoluendum, vltra quod ſoluere conſueuerint. Primò, quia vbi mutatur
monetæ valor extrinſecus, non autem intrinſecus, tunc tempus ſolutionis
attendimus, non autem diſpoſitionis, & ſiuè creſcat, ſiuè minuatur, id cedit
damno, & commodo debitoris &c. Nec eſt audiendus creditor qui dicat. Ego
tempore obligationis potuiſſem plures einſmodi monetas habere, quàm nunc
habeam, quia hoc eſt intereſſe lucri ceſſantis, quod non conſideratur, &c.*
Et ſubdit *nu.8. Quoad nos ea diſtinctio, ſcilicèt, an ſolutio fiat de ea moneta,
quæ erat in obligatione, vel in ſolutione, non obeſt, quia vt dixi, in
obligatione nulla erat certa moneta, ſed libræ quæ monetam faciunt imaginariam,
& pro quibus ſolui poteſt qualibet moneta &c.* Et *nu.11. Vbi
verò vnum in obligatione reperitur, & aliud eſt in ſolutione, tunc licèt quod
eſt in ſolutione ſit deterioratum, tamen debitor liberatur illud ſoluendo
l.1. &c.* Et *nu.12. In facto noſtro ceſſare debet omnis amaritudo, tùm quia
non apparet de aliqua mutatione intrinſeca, tùm verò magis, quia reſpectu
ſolidorum nulla omninò, nec intrinſeca, nec extrinſeca mutatio facta eſt;
cùm enim vt præmiſi nulla vnquam fabricata fuerit moneta ſub ſolidi
appellatione, mutari ea non potuit, quia non entis nullæ ſunt qualitates, &
quod non eſt mutari non poteſt, quia accidens; vt mutatio dari non poteſt
ſine ſubiecto. l. nec vllam &c.* Quod pluribus rationibus, & auctoritatibus
proſequitur. Et tandèm concludens *nu.26. Siquid dubii ſuberat,*

*quomo-*

*quomodo fieri debeat ſolutio, & de qua moneta, de quo valore, & cuius temporis eſtimatio eſſet attendenda, id omne ſublatum eſt per ſubſequutam obſeruantiam, quę declarat quid actum fuerit, & de qua moneta, & valore ſenſerint Partes*. Et hanc infinitos cumulando ſequitur per omnia, quæ ſupra declarauimus vſque ad *nu.* 34. videlicèt. *Eiuſmodi particularis conſuetudo ſoluendi prę ualet aliis quibuſcumque coniecturis, immò etiam generali Conſuetudini, & Statuto. Obſeruantia prędicta procedit etiam ſi ſit modici temporis, & non preſcripta, quia Conſuetudo interpretatiua diuturnitatem temporis non requirit. ſiue etiam intrinſecus, ſiue extrinſecus valor ſit mutatus, & ſiue vniformis fuerit ſolutio, ſiue varia prout fuit monetarum valor variatus. Et huius Concluſionis eſt ratio, quia preſcriptio vim habet conuentionis l. ſi certis annis &c.* Et *Bald. conſ.* 315. *vol.* 3. *Vbi dicit, quòd habetur pro contractu. Immò habetur pro veritate. l.* 1. *C. de ſeru. & aq. Bald. Crau. Brun. &c. Et in caſu noſtro concurrunt requiſita ad Conſuetudinem, diuturnitas temporis, frequentia actuum, & totius Populi notitia, quę tria ſufficiunt*. *Cyn. Bald. &c.* Deinde vſquè in finem ſoluit facillimè eadem in terminis argumenta, quibus ſuam poſitionem dicti Conſultores moliuntur, qui tamen eandem demoliri fortaſsè cogentur, ſi idem Conſilium attentè conſiderare voluerint.

136 Theſ. etiam 2. *part. caſ.* 5. *nu.* 25. eundem caſum noſtrum exactiſſimè diſcutiens in terminis etiam fortioribus Florenorum Sabaudiæ, & librarum Genuenſium non abſolutè, & abſtractè, ſed contractè in aureis, & argenteis, in qua forma obligationis, cùm non ſit purè generica, ſed virtualitèr etiam ſpecifica, cadit per conſequens conſideratio bonitatis intrinſecæ, & deteriorationis, vt latè oſtendimus ſuprà *nu.* 36. Nihilominus in huiuſmodi etiam forma obligationis generalem vſum edicens in princ. *nu.* 31. *Multi ad pacta, & genus contractus, alii ad conſuetudinem ſolutionum, alii ad morem regionum circa interpretationem recurrunt*. Præmiſſis deindè à *nu.* 33. *ad* 38. validioribus argumentis ad fauorem creditoris iiſdem prorsùs, quibus noſtri Conſultores vtūtur, poſt varias hinc indè dialectico more diſceptationes, tandem euidentibus, & efficaciſſimis rationibus ad fauorem debitoris concludit à *nu.* 37. *ad* 47. quòd nullum iſto caſu debeatur augmentum acerrimè defendens, & à *nu.* 47. *ad* 51. argumentis in oppoſitum pleniſſimè ſatisfaciens. Sic igitur *nu.* 38. *Quod iſto caſu nullum debeatur augmentum facit primo genus monetæ, quod magis minutam, quàm groſſam reſpicit pecuniam. Vndè ſatis eſt ſi de moneta proba, & expendibili ſoluantur floreni in obligatione poſiti, cum non auream, nec argenteam monetam reſpexerint.*

*contra-*

Digitized by Google

contrahentes, ſed florenos, qui ſoluuntur in tot ſolidis, albis, canallottis, & ſimilibus monetis minutis, quæ monetæ regulariter nullum augmentum, nec variationem recipiunt in bonitate intrinſeca, & multò minus in extrinſeco valore variantur. Vndè floreni ſic hodie valent groſſis 12. monetæ currentis, ſicut valebant 100. annis elapſis &c. Et nu. 40. Si ratio temporis habenda eſt, nulla æquitas ſuadet, vt magis attendamus præiudicium creditoris inſpiciendo tempus contractus, quàm debitoris inſpiciendo tempus ſolutionis, cùm ſolutio ſit facienda in certa monetæ ſpecie, quæ non erat tempore contractus, & minùs reperitur tempore ſolutionis. Et infrà. Quænam æquitas patitur, vt ſolùm attendamus damnum creditoris inſpiciendo tempus contractus, & non reſpiciamus vice verſa damnum debitoris, qui maiorem quantitatem florenorum ſoluit, quàm tempore contractus receperit; eo præſertìm conſiderato, quòd debitores pauperes ſunt, ære alieno oppreſſi, & vt plurimùm ſolent graues vſuras perſoluère, quarum reſpectu nullum deberi augmentum à minimè moroſo debitore tempore Pilei antiqui Iur. Gloſ. Pontifex decreuit, & communem illius traditionem D. meus oſtendit dec. 174. Item nu. 41. Si conſuetudinem ſolutionum ſpectemus, cùm vna moneta pro alia ſoluatur, idque ſit etiam antiquiſſima huius Patriæ conſuetudine receptum, vt iſti floreni ſoluantur, vel in moneta minuta, vel groſſa, & de moneta currenti tempore ſolutionis; sed etiam conſuetudo introduxit, vt ſolutio harum ſpecierum fiat ſine vllo augmento, vt in hac ipſa ſpecie conſiderat Peregr. conſ. 13. lib. 3. & alii. Et re vera antiqui noſtri Rurales neſciebant iſtam ſubtilitatem, nec requirebant in reſtitutione pecuniæ augmentum, quandò obligationes erant factæ ad iſtos florenos, vel ad ſcuta moneta, cùm haberent tot florenos, & aureos, quot in Idea ſibi propoſuerant tempore contractus, nihili æſtimantes lucrum illud, quod ex ſpeciebus mutuo traditis in arca, vel penes debitorem recipere potuiſſent; ſed iſtas ſubtilitates DD. opiniones introduxerunt, caſuum differentias non diſtinguentes, nec conſiderantes, quandò vna ſpecies monetæ fuit in obligatione poſita; aliud enim eſt ſi fuerit promiſſa reſtitutio in auro, vel argento, vel in ea monetæ ſpecie, quæ reperiri poteſt, aliud ſi in floreno, vel minuta moneta, quæ ſemper eadem fuit, nec variata, vel reprobata reperitur; & quam minutam monetam poteſt ſoluere debitor, qui florenos ſoluere tenetur, vt de libris in tot denariis ſoluendis tradit Lauden. It in obligatione facta de tot ſcutis florenorum octo vel nouem, id videtur particulari ratione concludendum, quia ad hoc illa æſtimatio imaginariæ monetæ ponitur, vt certum auri pretium ſit, nec varietas communis, & ſolita attendatur; ſicutì, & ipſorum florenorum monetæ imaginariæ ſit ſtipulatio fauore con-

*trahentium, nè variatio contingat, & una, eademque ſolutio ſemper fiat uniformis, & ſicut illa taxatio eſt proficua creditori, cui in caſum diminutionis groſſioris monetæ debentur illi floreni conuenti; ita debet eſſe vtilis debitori, nè ad imparia iudicetur: attenta præſertim illa æquitate, vel maxima, quòd debitor, qui pecuniam auream, vel argenteam recepit, ex qua illi floreni fuerunt conſtituti, non expendit pro maiori pretio, quàm tempore contractus æſtimaretur*. Item *nu. 43. Hanc opinionem in iudicando tenuerunt Claſſici Scriptores, & acutiſſimi viri, tùm antiqui, quam recentiores, & primo Bart. in l. Paul. &c. & communem dicit Cagnol. Peregr. &c. & copiosè more ſuo Bergnin. dec. 30. nu. 87. par. 3. Vbi conatur oſtendere tale augmentum ſapere vſuram. Et cum hac ſententia video ſemper iudicaſſe ſupremam Senatus Pariſienſis Io. Gall. & Pompo. &c.* Et hanc ſibi ſententiam ſemper placuiſſe concludit *nu. 45*. Vndè infert *nu. 46. Neceſſariò fatendum eos, qui dicunt pro imaginaria, vel minori moneta purioris pecuniæ augmentum creditori deberi, quando debitor non eſt in mora, neſcire quid ſit augmentum, eò quòd tale incrementum non poteſt contingere in moneta imaginaria*. Quod etiam efficaci ratione confirmat. *Et illa ratio quamplurimi tradunt, quòd ideò non debeatur iſto caſu augmentum, quia creditor ſi moneta decreſceret, nollet recedere à florenis in obligatione poſitis, non eſt parui facienda. Nam quamuìs verum ſit, quod decrementum valoris aureæ, & argenteæ monetæ rarò fit, & non niſi per Edicta Principum ſuccedat; tamen illud etiam veriſſimum eſt, quòd illo caſu adueniente, creditor vellet ſibi ſolui de moneta taxata, & diminuta in pretio, & tradi illos florenos, quia illi poſiti ſunt in obligatione ad hunc effectũ, vt ſibi tot floreni ſoluantur, vt diminutionem effugiat. Ergò eſt magna iniquitas, ſi velit pro pretio aucto à debitore conſequi maiorem aureorum, & florenorum quantitatem, quàm ſua ferat obligatio; & in praxi vidimus, quòd cùm vociferaretur diminutio monetæ groſſioris per taxam Cameralem, omnes quærebant contractus reducere ad florenos, & in florenis reſtitutionem ſtipulari, nè damnum ſentirent*. Denique omnibus argumentis de deterioratione monetæ minutæ in bonitate intrinſeca, de attendendo tempore contractus, de intentione contrahentium, de damno creditoris in minori numero ſuarum monetarum, & ſimilibus, quæ noſtri Conſultores ſinè ſolutionibus ad ſuam Poſitionem tranſumpſerunt, per communiſſimas ſuprapoſitas diſtinctiones de obligatione generis, & ſpeciei, & eius quod eſt in obligatione, & facultate ſoluendi, ſufficientiſſimè ſatisfacit; ad quoſcunque etiam, ſi qui contrarium ſenſerint, reſpondens *num. 49. Nullorum authoritates, qui contrariam opinionem*

*defen-*

Digitized by Google

*defendunt, ſunt præponenda auctoritatibus Bartoli, & Baldi, & aliorum præclariſſimorum Iuriſconſultorum, qui pro debitore ſcripſerunt, & auctoritati Curiarum, cùm pro debitore iudicauerint Rot. Rom. Rot. Auenionen. Senat. Pariſien. & Senatus noſter Pedemontanus tot præiudiciis confirmauit, quæ pro lege cuſtodienda ſunt.* Ecce viri doctiſſimi, & Senatoris Illuſtriſſimi ſententiam, quem pro ſe in ſuo Conſilio inducunt noſtri Conſultores.

Idem ante Surdum, & Theſaurum eruditiori diſcurſu conſuluit, & 137 rationum, ac Iurium inductione pleniſſimè probauit vir eruditiſſimus Menoch. in egregio ſuo, & prolixo Conſilio 49. in fortioribus etiam terminis, quibus hæc quæſtio agitari poſſit, videlicet in annuo cenſu de anno 1528. florenorum 915. monetæ Sabaudiæ ſoluendorum quolibet anno in tot ſcutis auri valentibus dictam ſummam 915. florenorum; Cuius auctoritatem ſuæ Poſitioni è diametro pugnantem non alitèr ſubterfugere valentes, quaſi iocando, præfati Conſultores euadunt. *Menoch.* inquiunt, *Loquitur in caſu valde diſſimili, in quo creditor nullum damnum ſentiebat ex ſolutione vno, vel alio modo facta, & hoc non obſtante. Ità reſpondendo loquitur, vt videatur contrarium indicaturus.* Videamus, vtrum legitima ſit interpretatio, an illegitima.

Propoſita igitur in principio facti ſpecie. *Eo anno 1529. aureus valebat florenos quinque cum dimidio, & ideò cenſuarius ſoluendo aureos, ſoluebat 168. aureos plus minùs. Hodiè aureus valet florenos nouem, ità quòd ſi cenſuarius ſoluit aureos 102. tantùm numerare habet; creditor contendit ſibi numerandos 915. florenos iuxtà valorem antiquæ monetæ; itaùt valeat hodie conſequi 168. aureos, vt olim; debitor aſſerit teneri tantùm numerare 915. florenos monetæ nunc currentis, etſi non poſſet creditor conſequi 168. aureos, vt olim.* Ecce iam patens an creditor damnum ſentiebat ex ſolutione vno, vel alio modo facta; ſiquidem petenti 168. aureos, 102. tantùm offerebantur; ità tamen, vt inæqualitas in aureis, quæ materialiter, & per accidens ſe habebat, eſſet æqualitas in florenis, quæ formaliter, & per ſe fuerat intenta. Ad huius ergò facti diſcuſſionem præmiſſis à *nu. 1. vſque ad 9.* validioribus argumentis pro creditore, iiſdem planè, quibus noſtri Conſultores nituntur; ſcilicet, quòd moneta minuta deteriorata ſit in bonitate intrinſeca, & propter hoc moneta maior extrinſecè aucta, quòd noua moneta, quæ nunc cuditur, ſit vilior, & deterior antiqua, ex quo cuditur nunc deterioris ligæ, quàm olim, quod vel ex eo conſtat, quia hodiè valor aurei eſt maximè auctus, & auctus præſumitur ob prædictam deteriorationem, & quòd



Digitized by Google

per conſequens in ſolutione attendendum eſt tempus celebrati contractus, aliter creditor graue damnum ſentiret, vt omnes ſcribunt in *cap.olim*, *&c.* quòd etiam contrahentes non ad futurum, ſed præſens in contrahendo reſpexerint, nec eo contractus tempore futuram monetæ mutationem cogitauerint, & ſimilia. Quibus non obſtantibus, veram ſententiam concludit ad fauorem debitoris *nu. 9. Re tamen ipſa diligentiùs perpenſa, & examinata, contraria ſententia mihi magis placet, nempè ſolutionem cenſus hoc noſtro caſu eſſe faciendam ex moneta nunc currente, ſiuè modo mutata fuerit mutatione intrinſeca, ſiuè extrinſeca. Eſt extrinſeca, cum ipſius monetæ valor augetur, vel minuitur; Intrinſeca verò, cum valor non mutatur, ſed materia, vel pretioſior, vel vilior efficitur. Quòd autem huius cenſus ſolutio fieri debeat de moneta his temporibus currente multa ſuadent.*

*Primò conſidero obligationis tenorem, qui eſt diligenter conſiderandus, cùm controuerſiæ de monetæ ſolutione; & cenſus præſtatione ab illa maximè pendeant, & definiantur, &c. Verba autem florenorum 915. ſoluendorũ in tot ſcutis aureis &c. ſignificant florenos eſſe in obligatione poſitos, ſcutos verò, ſeù aureos in ſolutione &c. nam aurei illi dati cenſentur, vt æſtimati per illam ſummam 915. florenorũ &c. Atquì cùm promiſſa hæc moneta ſit æſtimata, ſiuè illius valor augeatur, ſiuè minuatur, attamen nil plus, quàm ſumma 915. florenorum ſub illa obligatione continetur. Ità egregiè de libris datis in florenis Bart. Caſtr. &c. ea ratione, quòd non crenit æſtimatio librarum, quæ debentur; quia libræ non æſtimantur per florenos, ſed è conuerſo, & ideò augmentũ eſt circa æſtimationem alterius, quàm eius, quod debetur; atque ita creditor nullum damnum ſentit &c.* & *Didac. aſſerit poſt Brun. eſſe communem opinionem cum Bart. &c. Cuius quidem ſententiæ communis ratio eſt, quia æſtimatio venditionem quandam facit l. æſtimatis &c. cuius damnum; & lucrum futurum in Dominum transfertur &c. & ideò debitor ſolùm tenetur eam æſtimationem ſoluere, non autẽ rem æſtimatam, atq; ità ſufficit præſtare 915. florenos, quamlibet ex 100. florenis tot aurei haberi hodie non poſſint, quot olìm, cum æſtimatio, quæ emptionem facit in Dominum, & damnum, & lucrum tranſtulerit.* Item immediatiùs *nu. 14. In hanc ſententiam adducor, quòd hoc in caſu noſtro in obligatione nulla adeſt certa ſpecies monetæ; ſunt enim promiſſi 915. floreni, quorum quidem florenorum nulla eſt certa ſpecies, & forma in hac Regione, cùm nullus ſit nummus, qui florenus dicatur, nec compertum habeo, quòd aliquo tempore, præſertìm tempore contractus cuſa fuerit aliqua moneta, quæ floreni nomen obtinuit. Et ideò quemadmodùm eo tempore illi 915. floreni promiſſi ſolui*

*potue-*

*potuerunt ex quauis moneta, ità & nunc. Eà eſt ratio, quòd tantùm ipſe*
*Dominus hodie conſequitur ab his Cenſuarijs. quàm olim; ex quo non poteſt*
*dici moneta hæc mutata, vel in valore intrinſeco, nempè in ipſo metallo,*
*cùm non ſit florenus certus nummus, vel in ipſo valore extrinſeco, ſcilicèt*
*in æſtimatione, quia florenus ità valet hodie groſſos 12. vt olim. Cū ergò nulla*
*mutatio intrinſeca, vel extrinſeca cōſiderari poſſit, fruſtra contenditur, quòd*
*ratione damni ſolui debeat antiqua moneta, & ſi illa nō reperitur, eius æſti-*
*matio, & valor.* Idèm probat etiā ex generali conſuetudine *nu.* 19. *Mo-*
*net me non parùm argumentum ex conſuetudine generali &c. Nec de huius*
*obſeruantiæ, & conſuetudinis viribus eſt dubitandum: Quinimmò admiſſo,*
*quòd viribus non ſubſiſteret, negari adhuc non poteſt quìn poſteriores Con-*
*trahentes eam præ oculis habentes, eam ſequuti ſint, & ſecundum eam cō-*
*traxerint &c.* Idèm efficaciùs ex conſuetudine & obſeruantia particu-
lari *nu.* 20. *Admiſſo rem eſſe dubiam, quam tamen claram ex iàm relatis*
*ad fauorem Cenſuarii exiſtimo. Adhuc dicendum eſt, ſoluendum eſſe Cen-*
*ſum de moneta nunc currenti; nam ex tot ſubſecutis ſolutionibus declarata*
*fuit hæc ambiguitas; Cùm non ſolùm decennium, ſed etiam a die celebrati*
*contractus in hanc vſque diem ſoluta ſemper fuerit moneta currens ſolu-*
*tionum temporibus &c. vt ſolùm intelligatur promiſſa moneta currens ſo-*
*lutionum temporibus. Ità* Bald. Lauden. *&c. qui dicit decennium ſuffice-*
*re, quia ea obſeruantia præſcriptione perfecta non indiget &c.* Ampliùs
in contractibus præſertim cenſuarijs latè probat *nu.* 22. hanc diſcepta-
tionem mutationis monetæ intrinſecæ, & extrinſecæ non eſſe faciendā.
Poſtremò ad ſenſum etiam ex ipſo facto veritatem manifeſtat *nu.* 25.
ſimul euertens fundamentum partis aduerſæ, nempè quòd moneta mi-
nuta facta ſit deterior in bonitate intrinſeca, & ex ea mutatione cre-
ditor damnum patiatur, niſi fiat ſolutio ad valorem tēporis cōtractus.
*Hùc maximè ſpectat, quòd Dominus Cenſus, nullum ex hac intrinſeca mu-*
*tatione monetæ ſentit damnum, & ob id huius mutationis nulla eſt habenda*
*ratio; nam quod ſcribunt DD. habendam eſſe rationem monetæ, cùm immi-*
*nuta fuit intrinſecùs, locum habet, quandò ex ea mutatione creditor ſen-*
*ſit aliquod detrimentum, non autem quando vellet lucrari; id, quòd probat*
*l. Paul. cit. Vbi Bart. & cæteri. Atqui in caſu noſtro Dominus Cenſus nul-*
*lum ſentit damnum, ſi moneta noua loco antiquæ ei numeretur. Quod an*
*verum ſit, vel ex eo apertè conſtat, quòd ſi accipio nunc florenos 900. ex*
*illa moneta, quæ eo anno 1528. cudebatur, quemadmodùm ex illis permul-*
*ta reperiuntur, non tamen plures aureos poſſum nunc acquirere, quàm ſi da-*
*rem tantundem ex moneta, quæ nunc cuditur; Et tamen contrarium verius*

*eſſe*

Digitized by Google

*eſſe deberet. E.G. ſume groſſos 66. ex illis, qui eo anno 1528. cudebantur, non poteris certè acquirere vnum aureum, vt eo anno 1528. acquiſiuiſſes. Sicuti etiam, ſi ex moneta noua 66. groſſis non poteris acquirere aureum, vel nouum, vel antiquum; Et tamen ſi verum eſſet, quòd moneta noua eſſet intrinſecùs deteriorata, & vilior facta, quàm erat antiqua, opus eſſet dicere, quòd licet cum 66. groſſis ex nouis non poſſit acquiri aureus vnus, poſſit tamen cum 66. groſſis ex antiquis, quod falſum eſſe manifeſtè cõſtat. Rursùs ſume exemplum ex cauallottis, qui valent tres groſſos; accipias cauallottos 22. ex antiquis, non certè poteris acquirere vnum aureum, vt olim &c. Si ergò apertè conſtat monetas paruas, & minutas, ex quibus florenus, & deindè aureus conficitur, & æſtimatur, eſſe nunc eiuſdem valoris, quo & olim; ſequitur dicendum, non eſſe factam aliquam mutationem intrinſecam huius monetæ minutæ. Et propterea ceſſat illa conſideratio DD. quę dicebat monetas eſſe hodie effectas viliores, & deteriores; cum hodie ex ſimili moneta, qua olìm cudebatur, non poſſint acquiri tot aurei, vt acquirebantur olim &c. Nec habet neceſſe Cenſuarius ità facere, vt Dominus tot aureos hodie, prout olìm, conſequatur.* Inſuper *num.* 28. *Confirmatur ratione ducta a vera mente partium. Eſt enim ità conuentum; quòd fiat ſolutio florenorum 915. in tot aureis, aureorum ſumma determinata non fuit, quod ea ratione factum credendum eſt, quia conſiderarunt Contrahentes futurum fore, quòd quandoque plures, quandòque pauciores, vt temporum varietas ferret, ſolui potuiſſent; & ideò indeterminatè dixerunt 915. florenos in tot aureis, volentes quidem in obligatione eſſe determinatam ſummam florenorum, indeterminatam verò in ſolutione ſummam aureorum ratione futuræ variationis valoris aurei; Et mentem Contrahentium in his eſſe maximè ſpectandam probat Boer. &c.* Denique vt nullum prorſus cauillationi locum relinquat, terminat *nu.* 30. *Admiſſo, quòd res hæc eſſet dubia, & obſcura, attamen adhuc pro Cenſuario pronunciandum erit, quandoquidem in obſcuris ſequimur, quod minimum eſt. l. ſemper in obſcuris, & l. ſemper in ſtipulat. in fin. de reg. Iur. &c.*

Sic euidentèr, & eruditè patefacta veritate; vana, & friuola oſtendit argumenta contrariæ ſententiæ à *nu.* 32. latiſſimè *vſque in finem.* Ad illud de deterioratione monetæ minutæ *nu.* 38. *Reſpondeo nos non verſari in eo caſu, in quo moneta ità vilis cuditur, vt facilè reprobari poſſit; ſed iuſti, ac boni Principis voluntate cudi monetas parum vilioris pretij, quàm olìm, quæ quidem monetæ communem habent curſum &c.* Et probans vſque ad *nu.* 42. ſpeciale eſſe in moneta, vt non materia, ſed valor attendatur, infert. *Et ideò hinc ſequitur, quòd ſi offeratur ſolutio in pecunia*



Digitized by Google

*nia proba, & currenti, quæ tantum valet in valore extrinſeco, & currenti, quantum pecunia, quæ currebat tempore contractus, vel diſpoſitionis, quòd ſufficit, & tenetur creditor eam recipere, cùm ſit eiuſdem valoris, æſtimationis, & poteſtatis*. Quod etiam probat legitima interpretatione *tex. in cap. Olim:* Vbi cum moneta facta eſſet deterior Sum. Pont. non vult ſolui monetam antiquam meliorem; ſed ſolùm, vel eius antiquam æſtimationem, etiam in moneta viliori ad debitoris electionem, nulla facta mentione valoris intrinſeci. Ampliùs ad idem *nu.* 42. *Reſpondeo ſecundò principali illi primo partis aduerſæ fundamento, quòd in caſu noſtro locum habere non poteſt, cùm hic promiſſa non fuerit pecunia, quæ nunc ſit deteriorata, & vilior facta, vt dictum eſt &c. Præterea noua moneta parua, etſi in materia ſit deteriorata, attamen eiuſdem eſt valoris, & æſtimationis, quæ antiqua. Et ideò dicendum eſt, aurei augmentum non prouenire ratione monetæ paruæ deterioratæ, ſed ſimpliciter ex ſe ipſo, quod vno verbo ſcribit Pariſienſ. auri augmentum eſſe verum, & efficax;* Et *nu.* 43. *Reſpondeo tertiò, hos Contrahentes non habuiſſe rationem huius mutationis, cùm aureorum ſummam indeterminatam reliquerint, vt dixi, & ſolutionis ipſa conſuetudo omnem ſuſtulit dubitationem*. Ad illud etiam de damno Creditoris in numero aureorum. *Nec*, inquit, *probabilis eſt ratio illa, qua vti poſſet creditor dicendo, non poſſum ex hac pecunia acquirere tot aureos, vt olim; ſiquidem præter ea, quæ ſuprà diximus, & hoc modo dicere poſſet, non poſſum ex hac moneta emere tantum frumenti, vel vini, quantum olim, quod dictu eſt abſurdum. Quocircà quemadmodùm debitor non tenetur numerare monetam tanti valoris, vt tot merces, alimenta, & his ſimilia creditor emere poſſit; Ità pariter non tenetur tantũ monetæ numerare, vt æquè poſſit tantum auri nunc, quantum olim acquirere. Nam ſicut in obligatione non eſt frumentum, vel vinum, ità nec auri, vel argenti maſſa*. Et *nu.* 45. *Si eueniſſet caſus, quo valor aurei fuiſſet imminutus, vt quia effectus eſſet valoris 5. florenorũ tantùm, cùm eo anno 1528. valeret quinque cum dimidio, non admitteret creditor, quòd minus, quàm 915. floreni, ſoluendo tot aureos ad valorem florenorum 5. cum dimidio, ſibi numerarentur; nàm dixiſſet ſibi promiſſos eſſe 915. florenos, quos dixiſſet ſe non recipere, ſi aurei eo pretio dati fuiſſent. Ergò pari ratione è conuerſo non conuenit, quòd habeat, & conſequatur hoc monetæ augmentum, cùm ſecundùm naturam ſit, vt commodum is non ferat, qui non tuliſſet incommodum;* Sic etiam quibuſcunque alijs obiectionibus ſatisfacit, & ſecundùm eandem communiſſimam diſtinctionem obligationis ad genus, vel ad ſpeciẽ concordat DD. traditiones *nu.* 42. 43. & 45.

Ecce

Digitized by Google

Ecce igitur palàm, ſi in caſu diſſimili loquitur, ſi ità reſpondendo loquitur, vt videatur contrarium iudicaturus. Loquitur ſane in caſu diſſimili, nempe obligationis florenorum, non purè genericè, & abſolutè, ſed in tot aureis contractæ; Noſter autem caſus eſt de obligatione librarum, non in aureis, nec argenteis, ſed in moneta currenti purè, genericè, & abſolutè contracta; in quo proindè cauſa debitoris eò liberior, & fauorabilior eſt, quò ad nullam certam ſpeciem monetæ reſtringitur, ad nullius ſpeciei certam bonitatem intrinſecam refertur, & per conſequens ſine vllius deteriorationis cõſideratione omnis proba, & currens moneta in facultate ſoluendi relinquitur. Vndè patet per directam conſequentiam à fortiori, quid ex allatis rationibus ſit Menochius in caſu noſtro iudicaturus.

139 Id nuper in terminis indicat, & noſtro Themati coronidem imponit nobiliſſimus I. C. Romanus Sigiſmundus Scacc. commerciorum, & monetarum Genuenſium periti ſſimus; qui §. 2. *gloſ.* 5. *nu.* 102. iuxtà communiſſimam, & receptiſſimam diſtinctionem generis, & ſpeciei, duplicem caſum diſtinguit in terminis monetæ Genuenſis. Primum de obligatione certæ ſpeciei, quam omninò ſeruandam probat ex cõmuni DD. per regulam generalem, quòd, *Aliud pro alio non ſoluitur*, vſque ad *nu.* 145. Alterum de obligatione generis, ſeù monetæ imaginariæ, eaq. dupliciter; vno modo purè genericè, & abſolutè, alio modo ad certam aliquam ſpeciem contracta. Primi modi obligationem, cùm in ea conueniant DD. cum minori controuerſia decidit *nu.* 145. *Secundus caſus eſt, quando obligatio, ſeù promiſſio ſolutionis eſt in moneta imaginaria, quæ exiſtentiam non habet, niſi in alijs monetæ ſpeciebus, & iſto caſu concludo cum minori controuerſia poſſe debitorem ſoluere in quauis moneta proba.* Ad idem facit quod præmittit *Gloſſ.* 3. *nu.* 54. *Libra ſignificamus, non pondus, ſed certum pretium, quod non reperitur in certa moneta excuſſa, ſed in valore aliarum monetarum, cuiuſmodi eſt libra Genuæ. Conſtat ex* 20. *ſolidis, qui* 20. *ſolidi ſunt* 240. *Denarij; Vndè parid ſunt dicere libram* 20. *ſolidos, ſeu* 240. *denarios.* Itèm *nu.* 68. *Libra Genuæ, quæ eſt in frequenti vſu, non reperitur niſi virtualitèr in* 20 *ſolidis in quauis moneta calculatis.* Ad idem facit, quod de Genuenſibus teſtatur *nu.* 93. eos ex vſu mutare monetæ valorem, & in ſolutione attendi valorem mutatum. *Populus aliquando ex vſu mutat monetæ valorem a Principe impoſitum, hancq. mutationem ſæpe faciunt Genuenſes; & vbi Populus ſciente, & tolerante Principe mutat, attenditur valor mutatus.* Idéq. diffuſè probat ex communi DD. *Gloſ.* 5. *num.* 108. *In ſolutione debet*

*attendi*

Digitized by Google

*attendi valor currens ſecundùm vſum, & conſuetudinem &c.* vt infrà *nu.* 142. Idem etiam exemplificat *ead. Gloſ.* 5. *nu.* 118. *In caſu, quo ego mutuarem tibi* 100. *libras currentes moneta Genuenſis, tù eſſes obligatus in genere ad dictarũ* 100. *librarũ valorem reſtituendum in quibuſuis monetis Genuenſibus, etiam ſi dictum eſſet, quòd mutuo tibi* 100. *libras in tot Cauallottis, quia videor, omnes illos Cauallottos æſtimaſſe, & vendidiſſe* 100. *libris; ideò tu in quauis moneta Genuenſi ſoluens* 100. *libras es liberatus. Bart. &c. Non tamen reſtitutio fieri deberet in moneta minuta, ſed in currenti, ſeu quæ magis vſitata &c.* Idem, ſupponendo monetæ imaginariæ valorem inuariabilem; Concludit *nu.* 184. *Concludo, quòd mutuatarius, ſeu quiuis alius debitor tenetur reſtituere* 1000. *libras in quacunque moneta, & ideò ad mutuatarium debitorem ſpectat omne damnum, & lucrum Caualottorum, in quibus libras mutuo accepit, quia ipſe erit obligatus tradere libras, quaſi uideatur pro pretio illorum Cauallottorum uendidiſſe illas* 1000. *libras. Bart. &c.* Et *nu.* 185. *Infero ex hac cõcluſione ad maiorem intelligentiam terminorum, quibus noſtri DD. utuntur, quòd Cauallotti, in quibus ſunt mutuatæ dictæ libræ* 1000. *non ſunt in obligatione, ſed in facultate ſoluendi, & ſolùm libræ ſunt in obligatione.* Verùm quia de hac concluſione, in obligatione generica proteſtatus eſt ſuprà *nu.* 129. *Declara, ut ſit uera quando non conſtat, quam monetæ ſpeciem Creditor exburſauerit, & cum hoc ſalis grano loquutus ſum.* Ideò obligationum ſecundi modi, ideſt monetæ genericæ ad certam ſpeciem contractæ limitat *nu.* 187. *Reſtringe primò eandem concluſionem, ut non procedat, quandò in mutuo eſſent adiecta uerba, quòd mutuatarius teneatur reſtituere illas mille libras in eadem ſpecie monetæ Cauallottorum, & ſub eadem æſtimatione, quia iſto caſu propter pactum expreſſum deberẽtur mille libræ ad rationem æſtimationis, & ualoris Cauallottorum tempore mutui*; Et *nu.* 188. *Sed ſi non ſint addita illa uerba (& ſub eadẽ æſtimatione) tunc reſtitutio dictarum librarum erit facienda in Cauallottis ſecundùm ualorem currentem tempore reſtitutionis, nàm iſto caſu Cauallotti ſunt quidem in obligatione, ſed tamen conſideratur æſtimatio, & ualor eorum currens tempore ſolutionis; Et ſic periculum, & commodum diminutionis, vel augmenti pertinet ad debitorem.* Et *nu.* 189. *Subſtringe in eo quod dixi, libras eſſe reſtituendas in Cauallottis, ideſt in eadem ſpecie, ſtante pacto, vt non procedat de conſuetudine, quæ admittit ſolutionem etiam in alia ſpecie, dummodò creditor damnum non patiatur.* Et *n.* 190. *Reſtringe ſecundò, vt non procedat quandò reſtitutio fieret in moneta, cuius bonitas intrinſeca eſſet diminuta, eò quòd per inferioris metalli mixturã eſ-*

S *ſet*

Digitized by Google

*ſit contaminata, ſeù alitèr eſſet diminuta in pondere; quia iſto caſu, quamuìs debitor reſtitueret libràs mille mutuatas, & in Cauallottis, tamen non liberatur, niſi faciat reſtitutionem ad æſtimationem bonitatis, cuius erant Cauallotti tempore facti mutui. Amplia, vt procedat etiàm ſi valor monetæ non ex hoc ſit diminutus, quia debitor adhuc tenetur reſtituere in eadem bonitate intrinſeca. Amplia, vt procedat etiam ſi ex hac mutatione bonitatis intrinſecæ non ſit alteratus valor monetæ groſſæ; & multò magis, quandò ob vitium monetæ minutæ, cuius bonitas intrinſeca ſit diminuta, eſt auctum pretium pecuniæ groſſæ.* Ex quibus clarè liquet, monetam genericam ſimplicitèr conceptam functionem recipere in quauis moneta currente; contractam verò ad certam aliquam ſpeciem, ſeu genus monetæ, ad eandem monetam ſecundùm communem curſum relationem habere, dummodò ſit eiuſdem intrinſecæ bonitatis, & nõ diminuta, aut cõtaminata. *Cum hoc ſalis grano*, vt ait Scacc. loquuti ſunt DD. quoties bonitatis intrinſecæ, & extrinſecę monetarũ meminerunt. Cum hac diſtinctione intelligendi ſunt, *Quam* vt ait Rener. *inter optimos ſcriptores, & communiter receptam, atque vſitatam apud illos eſt indubitatum, qui eorundem doctorum virorum ſcripta, tractatus, & conſilia cum aliquali attentione viderunt, & legerunt.* Quod ſatìs conſtat ex præallegatis tàm Recentioribus, quàm Veteribus, tàm Iuriſtis, quã Canoniſtis, & Theologis. Ecce abſolutam noſtræ quæſtionis deciſionem, quatuor doctiſſimis Viris, vt quatuor lateribus Tetragonum immobilis æqualitatis conſtitutam, & iurium, rationum, Doctorumq. omnium firmitate ſolidatam.

140 Tandèm ad pleniorem, & ſuperabundantem noſtræ quæſtionis explanationem; Admiſſo etiam contrà patentem veritatem fundamento deteriorationis dictorum Conſultorum; quot contractus debitorum conditos fuiſſe conſtat poſt illam ſuam introductionem monetarum? quinimmò plures, vt multi fatentur in quibuſdam monetis, tunc temporis affluentibus, vulgo dictis *Zorzini, Vacchette, Cianfroni*, & ſimilibus, quarum cognita imperfectione, illicò in valore diminutæ fuerunt, non ſine magno detrimento debitorum, qui eas acceperant; Si in huiuſmodi contractibus, qui certè ſunt innumerabiles ab anno *1606.* à quo ſecundùm ipſos talis moneta fuit introducta, nullum Ius, aut ratio augmenti exigendi apparet; quia etiam, vt ſuprà definiuimus, & extrà omnem eſſe controuerſiam concludit *Layman. nu. 26. Si tales monetæ à Principe reformatæ ad iuſtum valorem decreſcerent, adhuc in valore illo enormi, quo acceptæ fuerunt, ſoluendæ eſſent, quia eadem*

eſt

Digitized by Google

*eſt contrariorum diſpoſitio, in quibus eſt eadem ratio, neque vllus eſt ex DD. qui inter diminutionem, & auctionem, ſeruata proportione, diſcrimen faciat*. Cur ergò omnibus vniuerſalitèr abſque vlla limitatione augmenta concedere conantur? cùm certum ſit in praxi, & teſtantur etiã *Menoch. vbi ſupra n.45. Theſ. n.46. & Layman. nu.26.* quòd neque determinatis ſibi debitis contenti eſſe vellent, ſi monetæ decreſcerent, ſed ſtatim ac de diminutione per taxam Cameralem vociferaretur, omnes ad ſtipulationem librarum contractus reducere quærerent, quæ eſſet magna iniquitas, niſi quod verum eſt agnoſcatur nullam fieri debere cuiuſuis variationis conſiderationem in ſtipulatione librarum; cuius rationis efficaciam tantum eſſe ſubijcit *Theſ. nu.49. vt contrà eam, neque in iure, neque in facto vera ſit reſponſio, ſed contra receptiſſimã omnium opinionem*. Dicant de facto, ſi vnquàm tot annis elapſis quotiès per taxam Cameralem diminuta ſunt pretia monetarum, fuerint etiam diminuta pretia contractuum, vt ijs nunc augmenta, quibus tunc decrementa ſoluantur; Ergò nunc primùm, & in hac regione tantùm poſt ſomnum ducentorum annorum creditores euigilant? Et adhuc in toto Orbe terrarum omnes obdormiunt, qui tamen in praxi de huiuſmodi augmento, nec quidem ſomniantur. Ergò ſemper imposterum, quantumlibet monetæ augeantur, ſub hoc prætextu minutæ olim deterioratæ augmenta vſurpare licebit? Vel nullus alius iàm erit poſſibilis modus accretionis, nec vllus ſupererit locus reliquis Iur. & DD. definitionibus? Sed more imperitorum medicorum, hoc vno collyrio morbos omnes ſanare contendent? Saltìm præfati Conſultores, quod ipſi quoque non negant, non reticerent, & augmento illi ſuæ deteriorationi debito aliquandò finem imponerent, vel etiam excluderent contractus in tali, & poſt talem ſtatum deteriorationis celebratos, & ante talem ſtatum quotquot verum extrinſecum augmentum ſuſceperunt; quamquàm omnes abſolutè conſtet à tali onere eſſe liberãdos; Et plerique de facto communem vſum ſeruantes, eorum renitente cõſcientia, à tali augmento ſe abſtinent; pluresq. eorum, qui ad id exigendum in capitalis redemptione inducuntur, fructus tamen ipſos, de quibus eſt eadem cauſa, in moneta currenti, vt hactenùs conſueuere percipiunt, quippè qui antiquæ conſuetudini non inſiſtendo, naturali Iuſtitiæ manifeſtè repugnare ſuadentur; & quidem meritò, nàm *Quiſquis metas conſuetudinis horum, inter quos verſatur excedit, aut velut intemperans, aut velut ſuperſtitioſus damnari debet ex Can. Quiſquis 41. diſt.* Quicquid de abuſu ijdem Conſultores muſſitare non deſint, quod nulla eſt conſideratione dignum, vt liquet ex dictis.



Digitized by Google

# ARTICVLVS VI.

## Qualiter Obiectiones in contrarium diſſoluantur.

141 PRAETER illud inane fundamentum, Alia etiã argumenta, quæ ad illud muniendum ijdem Conſultores adducunt, à DD. communitèr, & ex dictis facillimè diluuntur. De libris enim iàm patet exuberantèr, qualitèr eiuſdem rationis cenſeantur, quòdque in earum ſtipulatione contrahentes ad futura reſpiciãt, quatenùs certum ſemper ſit pretium contractus, nec vlla obſit monetarum variatio, eademq, ſolutio fiat ſemper vniformis, ſecundùm intentionem, & finem inſtitutionis librarum, vt latè ſuprà *nu.* 22. Quarè non eſt neceſſe in ſolutionibus recurrere ad valorem, quo moneta currebat tempore contractus; ſiquidem nunc eſt maioris pretij, quàm tunc eſſet; ſed ſufficit ſoluere præciſam ſummam librarum tempore contractus conuentam. Et ſic, vt volunt ijdem Conſultores, contrahentes non ad futura reſpiciant, & pretio dictarum librarum, ſiuè per plures, ſiuè per pauciores monetas illis ſoluatur, contenti maneant; quia ſic ius ſuum illis tribuitur, & ſic patet ad ſecundum, & tertium argumentum.

142 Ad quartum. De Proclamatibus, ex quo non fuerunt obſeruata ſciente, & patiente Principe, videtur Princeps tali contrauentioni acquieuiſſe, ac proindè de his non poteſt fieri fundamentum contra cõmunem vſum, vt optimè reſpondit *Collegium Papienſe nu.* 17. & latè comprobat *Rener. cap* 20. *Per auream gloſſ. quàm DD.* ſummè cõmendat ad *verbum frãgere in fin. Extrauag. de Treug. & Pac.* Vndè optimè in caſu noſtro *Scacc.* §. 2. *gloſſ.* 3. *n.* 93. *Populus aliquãdo ex vſu mutat monetæ ualorẽ à Principe impoſitũ, hancq. mutationẽ ſæpè faciunt Gennenſes, & ubi Populus ſciente, & tolerante Principe mutat, attẽditur valor mutatus*; Idem probat *gloſ.* 5. *n.* 108. *In ſolutione debet attẽdi ualor currens ſecundũ uſum, & conſuetudinem, & non ualor impoſitus ab Edicto, quem, ſciente, & patiente* Principe *Populus non ſeruat, quia tunc dicitur Princeps illi ualori uſuali, ſeù conſuetudinario acquieuiſſe, & conſequenter uſus, & conſuetudo praualet, ut ſcribunt DD. &c. Tunc autem Princeps non tolerat, dum punit eos, qui expendunt, uel accipiunt contra Edictum.*

143 Quintum autem nihil concludit, quia licet libræ, & omnium mo-

netarum

netarum pretia per minimum ſui generis menſurentur, & relatiuè ad illud diſtinguantur; nihil tamen cogit (præſertim obſiſtente Decreto) in minimis ſolutiones accipere, ſicut nec menſura pro menſurato tribuitur, quamuis relatiuè ad ipſam menſuratum accipiatur.

Sextum quoque tranſit de ſubſtantia ſolutionis ad modum, & 144
qualitatem monetæ ſoluendæ; ſubſtantia quippe valoris temporis cõtractus eſt certus, & determinatus numerus librarum, tacitè, vel expreſsè obligatus; qui idem ſemper integrè redditur in quocunque curſu, & ſecundùm quemcunque modum ſolutionis monetarum. Et ſic in Cenſibus procedunt plerique DD. cit. qui tempus ſolutionis attendendum eſſe decidunt. Vndè infert *Collegium Papien. num.* 11. quòd etſi præſcribi non poſſit Cenſus quoad ſubſtantiam, præſcribi tamen poteſt modus ſoluendi, etiam ſi tenderet præſcriptio in aliquam diminutionem Cenſus, propter deteriorationem monetæ; quod etiam ex communi DD. ſequitur *Rener. cap.* 24. At ea diſtinctio, vbi certæ alicuius ſpeciei eſt facta conuentio; cæterum in obligatione generis, vt librarum, nulla prorſùs dubitatio occurrit, quin ſoluendum ſit in moneta iuxta tempus ſolutionis communitèr currente, vt plenè ex præmiſſis, & de annuo reditu in ſpecie ex communi decidit *Rener. cap.* 23. & plura etiam ſubijciemus *num.* 109. Quarè re vera omnia contra eos militare videntur, quæ pro ſe dicti Conſultores adducunt, omnes quoque DD quos Alphabetica ſerie enumerat *Rener. cap.* 2. Et vanam eorum poſitionem radicitùs euertit communis Hiſpaniarũ vſus, ſapientum ſententijs, & clariſſimis Regij Senat. Granat. Deciſ. comprobatus; quòd nihil obſtante illuuie adulterinæ pecuniæ ex Septentrionalibus Regionibus importata; quantumuis pretia probarum monetarum immoderatè excreuerint, ſemper ad communem curſum, concordi omnium conſenſu ſolutiones in genere factæ fuerunt. Atque ità vbique ſe habet rei veritas, ſi ex ijs, quæ prò baſi, ac fundamento harum; & ſimilium quæſtionum omnium certa, atque indubitata ſunt poſita, iudicium deſumatur.

Reliqua etiam Clientum argumenta, quoniam ſi quid probarent, 145
de omni tam intrinſeco, quàm extrinſeco augmento procederent, eò faciliùs à DD. ſoluuntur, quò falſiùs, & contrà communem rationem procedere nituntur. Ad primum ergò patet ex dictis, quòd iuſta quantitas dati, & accepti non debet attendi ſecundũ quantitatem materiæ, ſed pretij. Quarè qui 100. aureos ſub maiori pretio repetit pro

100.

Google

100. quos dedit ſub minori, non repetit quantum dedit, ſed pluſquàm dedit, ac iniuſtè agit.

146 Ad ſecundum etiam patet ex dictis, quòd ſemper, & in omni contractu, ſiuè certa, ſiuè incerta ſpecie ſtipuletur, reddenda eſt æqualitas valoris, niſi ſpeciali conuentione fuerit excluſa.

147 Ad tertium quoquè patet ex dictis, quòd licèt libra non ſit vna moneta realis à cæteris diſtincta, eſt tamen communis menſura monetæ realis, qua pretia diſtinguuntur, & menſurantur. Quarè ſicut reſpectiuè ad libras monetæ reales ſoluuntur; ità iuſtum eſt, vt reſpectiuè ad eaſdem recipiantur, & eadem vnicuique menſura metiatur, & remetiatur. Quiſquis autem renuit ſic iura ſecerni, odit manifeſtè lucem, vt malè agat.

148 Ad quartum ſimiliter patet contractus commutatiuos ex natura ſua certam, perpetuamq. valoris æqualitatem importare, adeoq. nullatenùs ad ſortem reducendos, nulla in eis expreſſa intentione, & conſenſu contrahentium cum pacto exponendi ſe periculo lucrandi, & perdendi, quod etiam dum exprimeretur, eſſet iniuſtum, & illicitum, niſi æquale periculum prudenter iudicaretur.

149 Ad quintum, & vltimum dicendum; quod vt optimè diſtinguunt DD. & Theologi communitèr cum *D. Thom.* 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 1. ad damnum emergens, & lucrum ceſſans, ad quod ſpectare poteſt augmentum monetarum, debitorem, ſecluſa mora, non teneri, niſi ex pacto iuxtà DD. communitèr, & *tex. expreſſ in l. Titius ff. de praſcrit verb. Reſpondi, pecuniæ quidem creditæ vſuras, niſi in ſtipulationem deductas nō deberi.* Aliter autem, vt pulcrè expedit *Brun. Pr ſuppoſ.* 2. in alijs, & alijs contractibus procedit obiecto. In contractibus enim in genere, vt ſæpiùs dictum eſt, nullum omninò locum adinuenit huiuſmodi aduerſio, quia certa ſemper, & vniformis, & cuiuſuis variationis expers eſt eorum æſtimatio. Vndè vt optimè expenditur in *deciſ. Granat.* 17. *nu.* 20. *Pactum in præſenti, & conuentio contrahentium reſpicit extrinſecam æſtimationem, cum in tali moneta nullus alius valor, quàm extrinſecus conſideretur, ac proindè nihil aliud comprehendere poſſunt præter illum contrahentium conuentiones; ideoq. vt aliquid operentur, neceſſariò pactum referendum eſt, vt valoris extrinſeci, qui tunc fuit, ſolutio fiat, & ità ſolutionis tempus potiùs, quàm contractus conſiderabitur; quia aliter inefficax redderetur conuentio, & contrà mentem contrahentium operaretur; atque ideò diſtinctio DD. de mutatione valoris intrinſeci, & extrinſeci in hoc non*

*proce-*

Digitized by Google

*procedit*. In contractibus autem ſpecificis, vbi multiplici varietati ſubijcitur ſpecies debita, aliter etiam procedit in depoſitis, aliter in mutuis, & aliter in cenſibus, ac cæteris contractibus.

In depoſitis enim, cum Depoſitarius nullum acquirat ius, dominiũ videlicet, nec directum, nec vtile, ſed tantùm rei depoſitariæ cuſtodiam, ac curam; totum propterea lucrum, ac damnum, augmentum, ac decrementum rei depoſitatæ ad Depoſitantem ſpectat, qui ſolus eſt plenè Dominus depoſiti; licèt etiam oppoſitum dicendum ſit, cùm quid ad æſtimationem deponitur, quia tunc ſatis eſt ſi reddatur æſtimatio rei depoſitæ, vt DD. communitèr, cum *Bart. in l. Paul. ff. de ſolut. in fin.* ibi. *Si depono apud te* 100. *libras in florenis, non teneris reddere, niſi centum libras; nam hìc ego videor tibi illos florenos vendere pro illis* 100. *libris, & illorum pretium apud te deponere*, & plenè deciditur in *deciſ. Granat.* 14. 150

In mutuis autem, cum mutuatarius acquirat plenum dominium pecuniæ mutuatæ, ſpectat conſequentèr ad ipſum quicquid augmenti, aut decrementi circà ipſam pecuniam contingit; Cuius rationem exponens *Molin. loco ſup cit. Si valor*, inquit, *pecuniæ mutuo acceptæ decreuiſſet, non ideò minus valoris eſſet ſoluendum mutuanti, quandoquidem valor ille non perijt, quo tempore pecunia illa erat mutuantis, ſed mutuatarij; valor autem rei Domino perit, non autem illi, qui Dominus illius non eſt. Ergò pari ratione, ſi pecuniæ valor accreuerit, accreſcet mutuatario, & proindè non plus valoris eſt mutuanti reddendum, quàm fuit is quando mutuo pecuniam dedit; Neque autem dici poteſt mutuans ex beneficio præſtito damnum reportare, præſertìm, cum pecuniam illam erat ſeruaturus; quia ſicut, ſi decreſceret vitaret ratione mutui damnum illius decrementi, ità ſubire debet iacturam illius incrementi, quæ per accidens ratione mutui ei aduenit; non enim eſt damnoſum ſentire onus, ſi ſentiatur, & commodum.* Hæc in puncto Iuris; mitiùs tamen agendo, vbi ſpecialis moneta eſſet certo numero mutuata, eaq. notabiliter alterata, dici etiam poſſet cùm *Laym. loc. cit. nu.* 30 æquum eſſe ad pacis, & concordiæ bonum, quòd vterquè contrahens commodum, & incommodum in parte ſentirent, cum hoc potiſſimè perficiat liberale beneficium mutui, quòd alteri aliquod commodum, cum aliquo proprio incommodo concedatur. 151

Quoad pacta autem de damno emergente, & lucro ceſſante, ſic augmento, & decremento valoris extrinſeco monetæ, qua ratione in mutuis, & cenſibus admitti, vel reijci debeant. Dicendum eſt cum *S. Thom.* & Theologis communitèr 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. *ad* 1. Iuſtè poſ- 152

ſe

Digitized by Google

ſe fieri pactum in mutuis de aliquo ſuprà ſortem recipiendo ratione prædicti damni emergentis, & lucri ceſſantis, modò debita requiſita ſuffragentur; Vt videlicèt damnum, & lucrum verè ex mutuo, & in potentia proxima emergat, & ceſſet; & mutuans, non ſponte, & in proprium commodum, ſed in mutuatarij beneficium, charitate, vel honeſtate motus, vel rogatus mutuet, ac etiam iuxtà conditionem damni, & lucri, recompenſationis æqualitatem liquidet, & decernat. Vera eſt hæc concluſio, vt optimè notat *Bannes*, & alij Commentatores ibidem, ſiuè damnum emergens, & lucrum ceſſans ſit à principio mutuationis, ſiuè poſtea quando mutuatarius eſt in mora, cum æquè vtrinque mutuans damnũ inuitus patiatur; neque quoad hoc intereſt inter damnũ emergens, & lucrum ceſſans, cùm æque vtrinq. mutuans minùs habeat, quàm debet habere, quod eſt damnificari; vt idē *D. Tho.* probat ex *Philoſopho q.62. art.4.* Ideòq. eadem D. Thom. ratio eſt pro vtraque parte demonſtratio; atque ſic explicata concluſio in iure habetur ſecundùm communem Regulam, *cap. final. de Iniur. Si tua culpa damnum datum eſt, vel irrogata iniuria, tunc te ſuper his ſatisfacere oportet.* Sic etiam definiri videtur in *cap peruenit de fideiuſſ.* Vbi fideiuſſor poteſt in pactum deducere omne damnum, & intereſſe, quod ex fideiuſſione incurrit, eique ſatisfaciendum decernit Summ. Pont. ſi illud ex fideiuſſione incurrat; Idem in *cap. nauiganti de vſur.* in pluribus etiam legibus, vt in *l. ſocium ff. pro ſocio. l. cum quidem ff. de vſur. l. vſur. C. eod. tit. l. atqui natura* §. *non tantùm ff. de negot. geſt. l. 3.* §. *final. ff. de eo, qui certo loco.* Eſtq. communis ſententia Iuriſperitis omnibus in *cap. ſalubriter, & cap. conqueſtus. de vſur.* Summiſtis etiam omnibus *in verbo vſur.* & Theologis vniuerſis cum *S. Thom. loc. cit.* Vbi eam validiſſimis etiam rationibus confirmant. Neque enim, vt ibidem docet *D. Thom. Hoc eſt vendere vſum mutui, ſed damnum vitare. Et poteſt eſſe, quòd accipiens mutuum maius damnum euitet, quàm dans incurrat; Vnde recipiens mutuum cum ſua vtilitate damnum alterius recompenſat.* Ità etiam diſtinguitur in *l. ſocium cit.* ibi. *Non quaſi vſuras, ſed quòd ſocij interſit.*

153 Ex qua lege, & ſuprà allegatis omnibus intelligunt cõmuniter DD. ſemper diſtinguendũ eſſe de mutuante rogato, & alterius gratia, cui damnum patienti omnia iura fauent, & mutuante ſpontaneo, & ſui gratia, cui nulla ratio damni, vel lucri competit; quia cum ſpontè, & ad libitum, vel etiam in proprium commodum mutuet, ipſe potiùs lucro ceſſat, quam ſibi lucrum; & damnum ſua, non alterius culpa emergit.

git. Si tamen damnum dici debet, quo commodum quærit, vel etiam volenti fieri poteſt iniuria. Idemq. à fortiori cenſendum de mutuante indemni, cui damnum, & lucrum non ſunt niſi in potentia remota, in qua cum non ſint quid diſtinctum ab ipſa ſubſtantia mutui, quatenùs non ſūnt, niſi ipſa cuiuſque rei potentia naturalis ad plures vtilitates, quæ tamen poſſunt multipliciter impediri; idcircò tale damnum, & lucrum non poteſt in pactum deducere; aliter ſequeretur, in omni mutuo licitum eſſe aliquid accipere, & per conſequens illicitam non eſſe vſuram. Quod omnia iura reijciunt. Et propter eandem diſtinctionem conciliantur *D.Thom.q.78.ar.2.cit.cum q.62. ar.4.* & ex Iuriſtis *Innocent.& Io.Andr.in cap.nauiganti. Anton. in cap.ſalubriter cit.* Et alij cū Iuriſconſulto in *l.Cum quidem ff. de Vſur.* non niſi ob moram prædictas rationes damni, & lucri mutuis concedentes; id ſcilicet intelligendo, quod omnes vno ore fatentur de ſpontaneo, & indemni mutuatore, cui, nec propriè damnum emergit, nec lucrum ceſſat, cùm ſibi non extent, niſi in potentia remota, & quando etiam in proxima, hoc ipſo ad illa ius amittat; quatenùs, cum motu proprio, & in ſui gratiam mutuet, debet quoque de lucro, & damno comitante non curare, ob regulam *§.Idemque iuris Inſt.qui. & qual.cauſ.manumitt. licet*. Quòd, *Qui vult neceſſarium antecedens, vult etiam neceſſarium conſequens*. Secùs autem, cùm quis inuoluntariè quodammodò, & morali quadam coactione ex debito charitatis, & honeſtatis compellitur ſuccurre proximo, ſic in illius commodum, & vtilitatem mutuare; ità tamen, vt ſe indemnem ſeruet, proùt exigit ordo charitatis. Quia licèt teneatur ex præcepto Domini *Luc.6. Mutuum dare nihil indè ſperando*, ſic ea damna pati, quæ per ſe ex natura mutuationis conſequuntur, vt priuationem rei ſuæ pro tempore, periculum eam perdendi &c. non tamen tenetur ſubire detrimenta, quæ per accidens cum mutuo coniunguntur, cuiuſmodi sūt damnum emergens, & lucrum ceſſans; alitèr, vel nullus in vllo caſu ad mutuum teneretur, vel omnes ad ſui deteriorationem cogerentur, contrà ipſam Iuſtitiæ rationem. Quarè ſic in mutuis paciſci, vt partium indemnitas ſeruetur, non eſt vſum mutui vendere, ſed damnum vitare, nec quod ſic exigitur ſecundùm *l.ſocium cit. Quaſi vſura; ſed quod ſocii interſit*, tribuitur. In quo Iura, & DD. abſque contradictione concordant, vt notant etiam *Bann. Beccan.* & alij D.Thom. Interpretes *loc. cit.*

Ad noſtrum thema igitur; In mutuo pecuniario, cum augmentum, vel decrementum, ſi certum moralitèr ſit, hoc eſt probabiliter futurū, 154

T ad

ad veram rationem lucri ceſſantis, & damnì emergentis pertineat; licitè poterit ſecundùm præfatas regulas indemnitati ſuæ mutuans cõſulere, ſic ſibi ex pacto augmentum in ratione lucri ceſſantis reſeruare, ſi tamen vſque ad tempus augmẽti pecuniam ſeruaturus erat; quia aliter ſibi tale lucrum minimè ceſſaret, quod nunquam acquiſiturus erat. Et è contra decremento in ratione damni emergentis ſe eximere, ſi ante illius tempus pecuniam conſumpturus erat; aliter nec ſibi ex mutuo, ſed aliundè damnum illud emergeret, quod etiam extrà mutuum accidere neceſſe eſſet, nec per conſequens ſibi ſecundùm *Regul. cap. final. cit.* cum altero de ſatisfactione pro eo, quod alterius culpa non eueniret, iuſtè paciſci poſſet. Sic fatentur communitèr *DD. loc. cit.* ac res eſt per ſe ſatis manifeſta. Quòd ſi neutrum, nec augmentum videlicèt, nec decrementum altero certius, & probabilius ſit, ſed pari fortunæ, & æquali periculo vtrumque expoſitũ, ideòq. in potentia remota conſtitutum. Tunc neutrum certè, & determinatè, nec ratione lucri ceſſantis, nec damni emergentis, ſicut, nec pro certo incertũ, vel quod non eſt, ac ſi eſſet, poteſt quis iuſtè paciſci; ſed tantùm ſi velit poteſt ſe ſorti committere, & tam lucro, quàm damno ſe exponendo, de certa ſpecie, & numero ſpecieì, poſthabitò valoris reſpectu, conuenire. Sic etiam omnes vnanimiter ſecundùm Iura fatentur, & praxi vbique recepta maximè conſtat.

In cenſibus autem, ſiquidem ſimiliter ſit æquale periculum
155 augmenti, & decrementi, nec probabilius, quòd pecunia augeatur,
quàm minuatur; poteſt ſub hac ratione ſecundùm DD. ſententiam,
fieri pactum de certa ſpecie, & numero ſpeciei, ſub eodem, quo tradi-
tur valore perpetuò reddenda, ſiuè impoſterùm augeatur, ſiuè minua-
tur; Quia cum par vtriuſque contrahendis conditio ſeruetur, neutrĩ
fieri poteſt iniuria, dum integrè vterque in ſuo iure perſeuerat. Cæ-
terùm ſi periculum inæquale ſit, & probabile magis, quòd pecunia
augeatur, quàm minuatur; nullo iuſto titulo, nec lucri ceſſantis, nec
damni emergentis, quæ nulla ſunt in cenſibus, poteſt tale pactum iuſti-
ficari, ſed velut iniuſtum, & fœneratitium multò magis, quàm pactum
indemnis, vel ſpontanei mutuatoris eſt omninò reijciendum. Sic ex-
preſsè pro irrito, & nullo declaratur in *Extrauag. Pij V. de cenſ.* nec ini-
tum obligat in conſcientia, vt docent communiter Theologi *Bannes*
*q. 78. cit. art. 4. dub. 6. Leſſ. lib. 3. q. 22. dub. 8. nu. 49. Salas dub. 56. nu. 11.*
*Filiuc. tract. 35. par. 12. cap. 1. nu. 171. Laym. ſect. 5. tract. 4. cap. 16. n. 15.*
*Bonac. diſp. 3. quæſt. 4. punct. vn. nu. 36.* & poſt omnes etiam *Duard. de*

*cenſ.*

Digitized by Google

*cenſ. to.2.§.5.quaſt.*49. Tum quia cum cenſualiſta annuas penſiones, & fructus affluenter ex ſua moneta percipiat, nullum ſibi Ius ſupereſt lucri ceſſantis, ob cuius rationem licitè poſſe fieri dicitur pactum de augmento; tum quia graue onus magno pretio æſtimabile venditori imponitur, ad quod non tenetur ex natura contractus, vt patet, ſecluſo pacto, & ſupra *nu.*67.*& ſeqq.* latiſſimè probauimus. Tùm demùm, quia eo ipſo, quòd pecuniæ valor, & pretium accreſceret, pretium quoque cenſus augeretur, ſic etiam maiori, quàm fuiſſet venditus pretio redimeretur. Quæ omnia planè iniuſtiſſima, iterata ſententia damnantur in *Conſtit. Pij V. citat.* ibi expreſsè. *Conuentiones directè, aut indirectè obligantes ad caſus fortuitos eum, qui aliàs ex natura contractus non teneatur, nullo modo valere volumus*. Item, *pacta continentia moroſum cenſus debitorem teneri ad intereſſe lucri ceſſantis &c. aut aliud ius ex eodem contractu, ſiuè aliunde acquiſitum perdere, ex toto irrita ſint, & nulla. Item declarantes pretium ſemel cenſui conſtitutum nunquam poſſe ob temporum, aut contrahentium qualitatem, ſeù aliud accidens, nec quoad vltimò contrahentes, minui, vel augeri*.

Proindè etiam Iuriſtarum cõmunem ſententiam eſſe teſtatur *Theſ. ſen. dec.*174. & certam, atque indubitatam ab omnibus receptam, & 156
approbatam, in obligatione ſpeciei in cenſibus ſic æſtimationem factam ab initio contractus inſpiciendam, vt habito reſpectu ad illam ſolutio fiat per eandem ſpeciem, ſubducendo ſi pluris, & addendo ſi minoris æſtimetur tempore ſolutionis eadem ſpecies, vt latè *Rener. cap.*23.*nu.*9.*& ſeqq.* Nec conqueri poteſt creditor, quòd pauciorem numerum monetarum recipiat, quàm dederit; cum minor numerus maioris pretij æquiualeat maiori numero minoris pretij, & ex vſu magis, ac publica æſtimatione, quàm ex materia, moneta ſit ponderanda, vt pluribus ſuprà oſtendimus. Neque etiam hoc eſt damnum pati, ſed lucrari, cum propter annuas penſiones poſſint libentèr omnes iacturam caſualis augmenti facere, vt optimè declarat *Laym. loc. cit.* vbi. *Neque verò*, inquit, *prætextu lucri ceſſantis probabilitatem habet, quin immò contradictionem inuoluere videtur. Cùm enim emptor cenſus ex mille florenis E.G. accipiat annuos* 50. *Non poteſt dicere tantum ſibi lucrum decedere, eo quòd monetam auri in ſpecie ſeruaturus fuiſſet, donec eius valor creſceret; ſi enim ſeruaſſet,* 50. *annuos lucratus non fuiſſet; igitur neceſſe eſt, vt vel* 50. *annuos ex cenſu dimittat, vel valoris incrementũ non exigat.*

Sic etiam latiſſimè oſtenditur in *dec. Granat.* 24. vbi *nu.* 1. *Iniquum* 157
*foret creditorem cenſuarium duplici, & magno lucro in hoc caſu in diſpen-*



Digitized by Google

*dium debitoris cumulari, ſcilicèt, & ſortem principalem integram ſecuram ſeruari cum redditibus annuis, & aurea, vel argentea moneta exceſſum creſcere, quod alienum videtur à redditurum natura, quia vſuræ nunquam recipiunt augmentum monetale ex l. Quidam ff. de reb. cred. l. ſi creditici C. de vſur. &c. Et cum moneta aurea, vel argentea creuerit æſtimatione, nimis in redditibus ſoluendis debitor grauaretur, & creditor pluſq. pro redditibus taxatum, quod vſuram redoleret, perciperet &c.* Sic etiam iuxtà communem ſenſum Theologorum, & Conſtitut. Martini, & Pij V. qui reuocant omnia pacta in cenſibus *num. 2. & 3.* Item *nu. 5. Licèt in contractibus non redditualibus diſputent DD. an moneta valore mutato, eius opporteat atendi, qui erat tempore contractus, vel ſolutionis &c. ſed in ſolutionibus redditũm cenſus, vel tributi omnes admittunt ſufficere ſoluere monetam currentem, ea æſtimatione, quæ tempore ſolutionis foret. Et ità Rota iudicauit apud Seraphinum.* Alitèr vt cum Fabro ſubijcitur *nu. 13. Si ad tempus conſtitutionis cenſus, & obligationis ſolutio referenda, cùm valor monetarum quotidiè alteretur, neceſſariam eſſet quot annis obligationem variari, vt quæ hoc anno erat in redditibus aſſis, anno ſequenti eſſet aſſis cùm dimidio &c.* Quæ DD. ſententia procedere declaratur *nu. 14.* niſi aliud in pactum iuſtè deducatur. *Nec tunc obſtabit*, vt ſubditur *nu. 18. quòd accipiens pecuniam eius Dominus fiat, ac proindè cum maneat debitor quantitatis, eam poſſit in quacunque moneta reddere; quia id verum, niſi apertè conuentio limitaret eam facultatem, vt quantitas, quæ per quodcunque nummorum genus diuagaretur, ad certam nummorum ſpeciem reſtricta maneret.* Quam quidem conuentionem tunc iuſtè fieri poſſe admittitur *nu. 15. Cùm valde incertum, vt indè cenſus pretium accreſceret, quia fortè poſteà illa ſpecies monetæ, quæ conuenta minùs æſtimabitur.* In qua tamen conuentione ad certam ſpeciem monetæ, adhùc (quod conſideratione dignum) contingente caſu immoderati augmenti, talis conuentio moderatur *nu. 12. Hoc autem prudenter limitari oportere Iudicis arbitrio ex rerum qualitate decendum eſt; quippè ſicut noſtro tempore immensè excreſceret diſparitas monetarum, ità vt pro croſis nummis communitèr currentibus argentea moneta non inueniretur, niſi cum exceſſiuo cambio 30. vel 40. pro centenario, vt iam vidimus; tunc equidem exiſtimo non eſſe compellendum debitorem cenſus, etſi conuentum fuerit, in aurea, vel argentea moneta ſoluere redditus, quia ex cambio, quod pro permutatione præſtare teneretur, nimìs oneraretur debitor, & pretium cenſus iniuſtum exiſteret.* Vndè, & quadam Pragmatica anni 1625. formã ſolutionũ ſtatuente refertur *n. 6. Propter penuriam argenteæ pecuniæ, & quia*

*croſam*

*aroſam ferè omnia commercia admiſerant, cambium de* 10. *pro* 100. *taxatum fuit in conuentionalibus obligationibus ſoluendi certam nummorum ſpeciem, ſi in aroſa ſoluerentur*; Ex quibus manifeſtè conſtat, quoad cenſus præcipuè, quàm iniuſtiſſimum ſit in obligationibus quantitatis in genere, vt ſcutorum, & librarum, augmentum de 30. & 40. pro 100. velle concedere; cùm in ipſis etiam obligationibus conuentionalibus certæ ſpeciei monetæ tàm exceſſiuum pretium denegetur, ne nimìs, & iniuſtè debitor oneretur. Conſtat etiam ex omnibus prædictis extrà periculi æqualitatem, quæ Prudentum iudicio relinquitur, de quo ſuprà *num.* 56. non nihil innuimus, non poſſe in cenſibus de exceſſu valoris pecuniæ pactum iniri, atque initũ ob expreſſam dati, & accepti inæqualitatem pro irrito, & nullo in vtroque foro damnari.

Ad illud deniquè, quod in confirmationem additur de accretione rerum, iàm ſatis patet ex dictis, cùm pretia earum non fixa, & certa, ſed incerta, & mobilia augeri, & minui videantur: præterquamquòd etiam ad praxim in Regnis Hiſpan. plenè obiectioni ſatisfacit *Senat. Granat. d.* 11. Quia quamuìs plures iam libræ ad merces comparandas requirantur, nihil tamen infert ad faciendas ſolutiones debitorũ, ſicut nec ad ſoluendas merces anteà emptas; quia non poſſunt partes ab æſtimatione recedere, cum pœnitentia non ſit licita in contractibus. *l. ea conditione C. de reſcind. uend.* & Contrahens non poſſit perfecto iam contractui contrauenire *l. in Commodato* §. *ſicut ff. commod.* Contractus ſiquidem à principio ſunt voluntatis, poſteà verò neceſſitatis. *l. ſicut C. de act. & oblig.* & latè proſequitur *Surd. conſ.* 392. Vndè, vt ad idem etiam reſpondet *Laym. nu.* 28. *Etſi propter extrinſecas circumſtantias, adeòq. per accidens contingat interdùm minore pecunia plus comparari, quàm alio tempore maiore comparari poſſit, non tamen proptereà minor pecunia cenſetur æquiualere maiori*: Hoc certum eſt in caſu noſtro de rebus Cenſui ſubiectis, quòd multipliciter decreſcunt. Domus nũc hinc, nunc indè dilabuntur, prædia frequentiùs ſterileſcunt, & quos afferunt fructus mille periculis, & oneribus ſubijciuntur; Sola pecunia in labentibus fundata non collabitur, in ſterilibus non ſterileſcit, nulli periculo, nec oneri ſubijcitur, quinimmò magìs, ac magìs in dies augetur. Si fit reproba, fit debitori, qui eam nec expendere, nec reddere poteſt; ſi decreſcit, eidem decreſcit, qui ſemper ad eandem ſummam librarum contractus tenetur; ſolùm ſi augetur, ſibi augeri negatur, vt eius augmento plùs oneretur. Quid ſuprà? pecunioſi pecunias augent, & augmenti pœnas famelici luunt. 158

Horum

Digitized by Google

159 Horum omnium verius experimentum præſeferunt miſeri Debitores, quos iuxtà commune dictum debita decòquunt, & ſi penſionum intolerabili grauamine coacti ſe redimere velint, vix ſufficiunt bona, in quibus ijdem Cenſus fundati fuerunt, ſi ſimul augmenta monetarũ ſoluere debeant; ità plures vltima damna patiuntur ex iniqua augmenti extorſione, dùm alij ex eadem iniuſtiſſimè ditantur. Sic etiam declamabat Diuinus Vates *Amos 8. Audite hoc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos Terra, dicentes; Augeamus ſiclum, ut poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis*; hoc eſt ſecundùm *Hug. Card. Augeamus ualorem moneta, & pauperes poſſideamus ſeruos pro uili pretio*. Sic etiam decantabat prophanus Poeta *in 1. Faſtor.*

*Creuerunt, & opes, & opum furioſa cupido,*
*Et cùm poſſideant plurima, plura petunt.*
*Sic quibus intumuit ſuffuſa venter ab vrna,*
*Quò plus ſunt pota, plus ſitiuntur aqua.*
*Quærere, ut abſumant, abſumpta requirere certant,*
*Atque ipſa uitijs ſunt alimenta uices.*
*(In pretio pretium nunc eſt) dat Cenſus honores,*
*Cenſus amicitias, pauper ubique iacet.*

160 Hic ego verbis *Rener. cap. 6. Omnes Iudices, necnon fideles cauſarum patronos (atque præ cæteris prudentes Theologos, non magis rerum quàm ſalutis animarum Curatores) ſincerè, & ex animo admonitos, & rogatus velim, vt ad hac, & ſimilia reſpicere, eademq. examinare, ac ponderare, Quæſtionesq. occurrentes controuerſas, non tam iuxtà intrinſeci valoris præſtantiam ſemper (vt quidam) nimìs indiſcretè, leuiq. brachio eaſdem percurrendo decidere, quàm iuſto moderamine adhibito, & quid apud DD. aliasq. Regiones communitèr receptum conſideratiùs examinando diſcutere, ac definire, miſerosq. Debitores, aliàs, vt plurimùm propter difficiles annuas penſiones, aliaq. incommoda oneratos, præter Ius, & æquitatem aggrauari non ſinant. Vndique enim, ut aureus habetur Text. in Auth: de fideiuſſ. circà fin. Ità Creditoribus prouidendum eſt, ut non Debitores grauentur*; Quod ad communes Regulas, & Iur. principia ſecundùm DD. ſententias, & Tribunalium Iudicia, ac Prouinciarum experimenta hucuſque fuſiſſimè digeſta, conſequi feliciſſime poterũt.

Hæc ſunto amoris Iuſtitiæ, Veritatis, & Charitatis, tenuitatis meæ monumenta, Sanctæ Apoſt. Rom. Sedi pedum oſculo præſentata, eiuſq. ſupremo, & infallibili Iudicio omni ſpiritus humilitate ſubiecta.

A. M. D. G.

Digitized by Google

# INDEX


A

Augmentum monetæ quid, & quotuplex. nu. 10.
Augmentum in vſu quale ſit. num. 49.
Augmenti cauſæ. nu. 44. 50. & ſeqq.
Augmentum frequentius decremento nu. 56.
Augmenti cuiuſdã falſitas, & enormitas. n. 41.
Augmẽti ratio habenda in ſolutionibus. n. 76.
Augmentum ſpectans ad Debitorem. nu. 74. 75. & 100.
Augmentum ſpectans ad Creditorem. nu. 90.
Augmentũ redolens vſuram. nu. 122. & 136.
Augmentum vſurarium in Cenſibus. nu. 155. & ſeqq.
Augmentum vſurariũ in mutuis. n. 75. & 154.
Augmenti liquidatio. nu. 101. & ſeqq & 122.
Augmentum in Republica Genuenſi. nu. 57. & 122. & ſeqq.
Augmenti conſilium in Republica Genuenſi. num. 11.
Augmentum in contractibus dotalibus, & S. Georgij Genuæ. nu. 120.
Augmentarij inhibendi, & ad reſtitutionem cogendi. num. 8.
Auri, Argenti, & Æris proportio. nu. 44.

B

Bonitas cuiuſque rei duplex. nu. 72.
Bonitas pecuniæ, & aliarum rerum in quo differt. num. 72.
Bonitas rei in omni cõtractu reddẽda. n. 100.

C

Cambiorum origo nu. 44.
Cenſus quomodo ſoluendi. num. 155. & ſeqq.
Cenſuum præſcriptio. num. 144.
Commutationum origo, & neceſſitas nu. 60. & ſeqq.
Concordia Theologorum, & Iuriſtarum, nu. 74. 75. 81. & ſeqq.
Conſuetudo ſeruanda. nu. 7. 115. & ſeqq.
Cõſuetudo ſoluẽdi quotuplex. n. 115. & ſeqq.
Contractus ex forma verborũ conſiderandus. num. 82.
Contractus pecuniarius quotuplex. nu. 84. & ſeqq.

D

Decrementum monetæ quid, & quotuplex. num. 10.
Deterioratio monetæ vbiq; reprobata. n. 42.
Depoſitum quo valore reddendum. nu. 150.
Dos quomodo reſtituenda Genuæ. nu. 120.

E

Errorum cauſæ in quæſtione augmenti. num. 86.

F

Falſatio monetæ deteſtabilis. nu. 29. 38. & ſeqq.
Falſatio enormiſſima Caluiniſtarum. nu. 108.

G

Genuenſes laudat, & protegit D. Bernardus. nu. 58.
Genuenſium cultus erga B. V. nu. 58.
Genuenſis Senatus integritas, & ſollicitudo in conſeruatione monetarum. nu. 41.
Genuenſis Senatus decreta contra augmentum. nu. 11. fin.
Genuenſes augent ex vſu valorem monetæ. num. 142.

H

Hominum auarorum infinita cupiditas. num. 55.
Humanæ vitæ neceſſaria commutatiua Iuſtitia. nu. 60. & ſeqq.

I

Impenſæ plures in cuſione monetæ minoris, quàm maioris. nu. 123.
Indigentia eſt omnium menſura. num. 60. & ſeqq.
Iuſtitiæ commutatiuæ æqualitas quotuplex. nu. 65. & ſeqq.
Iuſtum qua ratione ſit idem ac contrapaſſum. num. 67.
Intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, qua ratione conſiderandum in contractibus. nu. 149. & ſeqq.

L

Libræ Genuenſis appellatione quid intelligatur. nu. 23.
Libræ Genuenſis bonitas inuariata. nu. 124. & ſeqq.
Librarum, & ſcutorum monetæ Genuæ ſolutio. nu. 139.


Monetæ

# I N D E X.


M

MOnetæ origo, & vocabula. nu.14.
Monetæ inſtitutio, & neceſſitas. n.61. & ſeqq.
Moneta quotuplex ſit. nu.15. & ſeqq.
Monetæ ſpecificæ quotuplex valor. nu. 16. 50. & ſeqq.
Monetæ duplex conſideratio. nu.30.
Monetæ ſpecificæ mutatio quotuplex. nu.17. & ſeqq.
Moneta generica quotuplex. nu.23. & ſeqq.
Monetæ genericæ introductio, & neceſſitas. nu.21. & ſeqq.
Moneta generica quomodo immutabilis ſimul, & mutabilis. nu.34. & 113.
Moneta quando ſoluenda omninò eadem in ſpecie. nu.1. 88. & ſeqq.
Moneta debita ſi non ſit in vſu vel ſit reprobata, aut intrinſecè mutata quomodo ſoluenda. nu.2. & 91.
Moneta ſi cum difficultate reperiatur. nu. 3. & 92.
Moneta generica quomodo ſoluenda. nu.4. 93. & ſeqq.
Moneta generica ſi mutetur quomodo ſoluenda. nu.6. 105. & ſeqq.
Moneta omnis ſoluenda ſecundùm conſuetudinem loci, & vſum contrahentium. nu.7. 115. & ſeqq.
Moneta magis ſecundum vſum, quàm ſecundum materiam reſpicitur. nu. 64.
Monetæ æreæ vilitas, & abiectio. nu.46.
Mutuum monetæ differt à mutuo aliarum rerum. nu.72. & 73.

N

NVmmus, & numiſma, Vide Moneta.

O

OBligatio in materia pecuniaria quotuplex. nu.83. & ſeqq.
Obſeruantia ſecuta tollit omne dubium in ſolutione monetarum. nu. 118.

P

PActa ad vnguem obſeruanda in ſolutione monetarum. nu.88. & ſeqq.
Pacta quæ licita, vel illicita in contractibus pecuniarijs. nu. 154. & ſeqq.
Pecunia. Vide moneta.
Præſcriptio in ſolutione monetarum. n.118.
Pretium iuſtum quotuplex ſit. nu.66.
Pretia rerum, & monetarum qualiter regulentur. nu.26. & ſeqq.
Principum omnium ſollicitudo in conſeruatione bonitatis monetarum. n.41.& ſeqq.
Principum decreta circa ſolutionem monetæ minutæ. nu.47.
Principum poteſtas in cuſione monetæ.n.39. & ſeqq.

Q

QVantitas in genere, quomodo ſoluenda. nu.93. & ſeqq.
Quantitas cuiuſque monetæ quomodo cognoſcenda. nu.101. & ſeqq.
Quæſtio augmenti quantæ difficultatis.n.82.
Quæſtio augmenti, vt bene decidatur, quænam conſideranda. nu.83. & 121.

R

REgulæ neceſſario ſeruandæ in ſolutione monetarum. nu. 86.
Reſtitutio augmenti neceſſaria in Republica Genuenſi. nu. 8.

S

SOlutiones monetarum quomodo faciendæ. Vide Moneta.

T

TEmpus contractus, & ſolutionis, quomodo in valore monetæ attendatur, ex concordi mente DD. nu.81. & ſeqq.
Tempus contractus dupliciter accipitur. nu. 112.

V

VAlor monetæ quotuplex. nu. 16.50. & ſeqq.
Valor temporis contractus,& ſolutionis quotupliciter accipiatur. nu.81. & ſeqq.
Valor monetæ in ſolutione attendendus. nu. 76. & ſeqq.
Vſus monetæ, & cuiuſque rei multiplex. nu. 64.
Vſura qualiter committatur in mutuis. num. 73.


BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google